



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica**

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

**Tanner, Adam**

**Ingolstadii, 1626**

Disputatio VI. De Creatione mundi corporei, tam cœlestis, quam  
sublunaris, adeoque de opificio sex dierum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

## DISPUTATIO VI.

De Creatione mundi corporei, tam cœlestis,  
quàm sublunaris; adeoque de opificio  
sex dierum.

S. Thomas I. p. q. 45. 46. 47. & q. 65. vsque ad 102.

Argumentum & ordo Disputationis.



*Post tractationem de Angelis, agit S. Thomas, de creatione mundi corporei, descripta cap. 1. Genesis; cuius in hac parte methodum sequimur. Interponit vero idem S. Thomas à quæst. 75. vsq. ad quæstionem 89. prolixam disputationem de homine, eiusq. naturalibus potentis; sed qua tota ad Philosophos pertinet; qua proinde omissa, in id potius incumbemus, ut quando inter opera creationis citat. Genes. 1. cap. tam sepe est enucleate de cœlo, firmamento, ac syderibus agitur, naturam ac proprietates cœlorum, hodie tantopere inter Theologos naturalesq. Philosophos, ac Mathematicos controuersas, iuxta scriptura sacra, ac SS. Patrum doctrinam, quoad fieri potest, explicatas reddamus: uti iam antea fecimus, in proprio de cœlis opusculo, edito ineunte Anno M. DC. XXI. ex quo huc pleraq. ( nostris rebus nostro iure est arbitrato vsi ) mutata tamen nonnihil methodo, in gratiam Lectoris transferemus; præsertim quando eam disputationem multis viris doctis non improbatam fuisse perspeximus.*

*Quinq. autem quæstionibus uniuersam hanc disputationem complectemur. I. De creatione mundi corporei in genere. II. De opere prima diei; nimirum cœlo, terra, & luce. III. De opere secunda diei; nimirum Firmamento, ac soliditate cœli; itemq. de aquis superioribus & inferioribus, quas diuidit firmamentum. IV. De opere tertia & quarta diei, nimirum congregatione aquarum, germinatione terra; deq. syderibus, ac cœlo sydereo. V. De opere quinta & sexta diei; nimirum de animalibus terra; atq. homine.*

## D V B I V M I.

*Quid, & quarum rerum proprie sit creatio: an sit actio immanens in Deo, vel potius transficiens; & qualis.*

S. Thom. 1. 2. q. 45. a. 1. 3. 4.

**T**Ota hæc questio de Creatione in genere, per se quidem ac sua natura antecedit omnem tractationem de Creaturis in particulari; quare etiam à S. Thoma 1. part. q. 45. & sequentibus tribus, Tractationi de Angelis merito anteposita est: sed quia maximam habet affinitatem cum creatione mundi corporci, atque etiam vt materia de Angelis magis esset simplex & inter se coniuncta, atque à reliquis separata, consultius existimaui, eam in hunc locum transferre.

Quod vero ad præsentem dubitationem spectat, quatuor quaritur; 1. quid sit creatio. 2. quibus rebus proprie conueniat creari. 3. An sit actio immanens in Deo, vel transficiens. 4. Qualis.

Quod ad primum atinet, sermo est de creatione proprie dicta, prout opponitur generationi, aliisque mutationibus. Et certa atque ab omnibus recepta est doctrina S. Thomæ hic q. 45. a. 1. argum. *sed contra*, & resp. ad 3. vbi cum glossa super illud Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*, dicit Creare esse *aliquid ex nihilo facere*, seu producere; quo fit, vt creatio sit productio rei ex nihilo, seu ex non ente; Quod declarans ait, illud *Ex nihilo*, non designare causam materialem, sed *ordinem tantum*, vtique solum cum respectu rationis: quia res creata ad nihilum non habet respectum realem, vt recte notauit Gregorius de Valentia disp. 3. q. 2. pun. 1. *Sicut cum dicitur*, inquit, *post mane, fit meridies*.

Et addit, eum ordinem dupliciter ijs verbis significari posse; affirmatiue scilicet, & negatiue. Affirmatiue quidem, quando illud, *Ex nihilo*, ita accipitur, vt negatio subiungatur præpositioni *Ex* quasi nimirum dicas, *Ex non aliquo*, seu *Ex non ente*: negatiue autem, quando negatio intelligitur anteponi præpositioni; ita vt sensus sit, *Non ex aliquo*. Et utroque modo, inquit, *verificatur illud*, cum (in descriptione creationis) dicitur, *Ex nihilo aliquid fieri*; cum aliquo tamen discrimine, vt mox addit: *Nam primo modo præpositio Ex importat ordinem (nudum cuiusdam prioritatis.) Secundo modo importat habitudinem cause materialis, quæ negatur*. Ita S. Thomas; Quod intelligendum iuxta ea, quæ dicuntur dub. 3. vt prior expositio posteriorem fulciat; nec ab ea planè seiungatur.

Eodemque modo Creationem definierunt Hugo Victorinus lib. 1. de sacram. part. 1. cap. 1. Anselmus. c. 8. Monolog. & consentiunt Scholastici in 2. d. 2. Ratio est. Quia creatio, prout ab alijs mutationibus seu productionibus differt, est emanatio seu productio totius Esse: Ergo nullum esse præsupponitur ad creationem, adeoque est productio ex nihilo. Consequentia probatur: quia in nulla

productione præsupponitur id quod fit, sed potius priuatio seu negatio eius quod fit; sic enim homo fit ex non homine; album ex non albo, &c. cum ergo totum Esse rei per creationem producatur, necesse est, vt nihil ipsius rei præsupponatur, proinde Creatio est productio ex nihilo. Quare etiam ex communi fatetur Vasquez hic d. 172. c. 3. particulam *Ex* saltem significare ipsi? Nihili velut termini à quo antecessionem naturæ, vt docuit etiam Scotus in 2. d. 1. q. 2. et si quidam etiam antecessionem temporis requirant, de quo dub. 3.

Quod ad secundum atinet, recte docet idem S. Thomas ead. q. 45. art. 4. Creari proprium esse substantientium; *sive sint*, inquit, *simplicia, sicut substantia separata, sive sint composita, sicut substantia materiales*. Vbi ex preesse docet, etiam composita materialia proprie creari. Ratio est. Quia creari cum terminetur ad Esse, non nisi ijs proprie conuenit, quibus proprie & simpliciter conuenit esse; hoc autem non conuenit nisi substantientibus. Idè probat in argum. *sed contra* ex illo Gen. 1. v. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*; vbi creationem proprie accipi supponit ipse, & omnes communiter affirmant: speciatim Molina tract. de oper. sex dierum disp. 2. ex instituto probat, cælum, vna cum terra & aqua, *productum à Deo fuisse ex nihilo, per creationem preesse sumptam*.

Nec obstat, quod composita non sunt ex nihilo, sed ex suis principijs componentibus, quæ natura priora sunt ipso composito. Nam vt ipsemet S. Thomas cit. q. 54. art. 4. ad 2. respondet, Creationi non obstat, quod compositum sit ex præstentibus natura principijs, si modo nullum ex ijs tempore præcesserit. *Quia compositum*, inquit, *sic dicitur creari, quod simul (tempore) cum omnibus suis principijs in esse producitur*. Idem docet Gregorius de Valentia disp. 3. q. 2. p. 1.

Qua de causa non probatur, quod Vasquez hic disp. 174. cap. 4. num. 17. & cum eo nonnulli recentiores docent, *compositum secundum rationem compositi nunquam creari, sed ex aliquo produci; etiam si secundum se totum omnino incipiat: eo quod vocula, Ex nihilo, in definitione creationis posita, excludat omne subiectum, vel etiam principium constitutum, quod saltem natura prius sit*. Id quod etiam sensisse putat Gabrielem in 2. distinct. 1. q. 4. a. 1. Sed hoc plane repugnat S. Thomæ, & comuni antiquorum Theologorum sententiæ, vt dictum.

Rectius idem Vasquez disput. 172. cap. 3. num. 10. rationem creationis proprie & strictè acceptæ explicans, ait, *perinde esse rem ex nihilo, tanquam ex termino à quo, produci, atque nihil præexistere ante productionem, quod ad illius rei constitutionem quodammodo pertineat: vel quod idem est*, inquit, *atque rem fieri secundum se totam, seu vt dixerat S. Thomas loco citato ad 2. simul (vtique tempore) cum omnibus suis principijs in Esse produci*.

Ex quo colligitur, cum in vno eodemque instanti temporis, cælum factum sit secundum se totum atque in Esse productum, cum omnibus suis principijs; nec adeo vllum ex his ante instans illud productionis præxiterit, proprie vtique cælum ex nihilo creatum dici debere, etiam si natura prius, quam forma eius, ipsumque totum cælum

producereur, præcesserit materia: vt etiam in terra accidit, iuxta illud Sap. 11. v. 18. *Omnipotens manus tua, qua creauit orbem terrarum ex materia inuisa.*

9 Quod ad tertium atinet, cõtrouersũ est; quid à parte rei sit hæc productio, quam diximus esse creationem. Etenim S. Thomas cit. q. 4. a. 3. in corp. & ad 1. dicit, creationem actiue sumptã, significare actum diuinã, (vtiq; in relectionem aut volitionem) *qua est eius essentia, cui relatione (rationis) ad creaturã passiuã acceptã nihil aliud esse, quam relationem quandã creaturã ad creatorẽ, vt ad principium sui esse.* Quod ita est simpliciter asserunt & tuerentur Caietanus, & Thomistæ ibidẽ, i. c. Richardus in 2. dist. 1. a. 1. q. 2. & 3. Durandus q. 2. Capreolus q. 2. & Ferrariensis 2. cont. gẽt. c. 16. & 18 quos sequitur fere Gregorius de Valentia hic disp. 3. q. 2. pun. 2. Vasquez hic disp. 173. c. 2. vbi dicit, creationem nihil aliud esse, secundũ re, præter relationem ipsam creaturã pãdẽtis à creatore. Differt tñ à sententia S. Thomæ, dum negat, actionem ipsam creationis in Deo esse. Air n. n. 4. *Actio ex passio, qua sunt motus, sunt in passio: sed actio, qua non est motus, in agente, passio vero est in passio. Quocirca creatio actio esset quidẽ, inquit, in Deo create, sicut et relatio creatoris, nisi alias ipse nõ esset capax actus relationis ex re ipse.* Nec videtur dislicere Scotus in 2. d. 1. q. 5. nisi quod sentit, creationem esse relationem transcendentalem, vt refert et Caietanus hic q. 5. a. 3.

10 Fundamentum est. Nam si actioni desit ratio motus & transmutationis, nihil aliud videtur superesse, quam pura relatio; nec alio modo à nobis explicari, aut etiam intelligi potest, quam cõceptu solius relationis: talis autẽ actio, est creatio, eo ipso, quod non habet, nec supponit subiectũ, quod vtiq; termino à quo, & ad quem substando, moueatur aut mutetur.

11 Nihilominus verior, & receptã Philosophiæ conformior sententia est, creationem non esse quidẽ proprie motũ, aut mutationem, vt cum S. Thoma loc. cit. fatetur omnes, esse tñ in ipsa creatura modum quandam absolutum, nõ realiter strictẽ, sed modaliter distinctum à creatura, cum respectu transcendentali ad Deũ creatorem, quo creaturã ex Deo emanant, quiq; adeo habeat, veram & propriam rationem, tum influxus cuiusdam & actionis transeuntis, tum passionis, adeoq; dependentiã, diuerso respectu. Ita post Egidium, Ockamum, Gabrielem, Argentinam, Aureolum, docent Molina hic cit. q. 45. a. 3. & Suarez Metaph. disp. 20. sect. 25. Fauet etiam ipse S. Thomas in 1. d. 40. a. 1. ad 1. quatenus creationem vocat *actionem transeuntẽ, & æquiparat illam calefactioni.* Sed & Gregorius de Valentia q. 3. pun. 1. expresse docet, Deum non producere creaturas per respectum, siue sit rationis, siue realis; sed per aliquid prius eo respectu, &c.

12 Probatũ. Tum quia creatio nõ minus fortitur nomen ab effectu transeunte, quã calefactio aut frige factio: Est ergo nõ minus, quã ille, idẽ cũ suo termino, adeoq; in ipsa creatura quasi recepta. Tum quia iuxta vniuersalẽ Aristotelis doctrinam, omnis actio trãsiens transit extra agẽs, & recipitur in subiecto passio; trãsiens a. est, cuius terminus proprius & intrinsecus est, aliquid extra principium agens productũ; vt in creatione accidit. Tum quia nulla actio vel passio est mera relatio; alioquin n. actio poneretur in prædicamento relationis. Tum quia relatio prædicamentalis ad agens sequitur actionem vel passionem tanquã fundamentũ; quã proinde debent esse distincta ab ipsa re-

latione prædicamentali. Antecedens probatur. Quia relatio ad agens, requirit necessãriõ aliquod fundamentum, vt patet: nec vero aliud in præsentia assignari potest, quam ipsa realis processio seu dependentia creaturã à creatore, quã sub ratione dependentiã à Deo, est creatio passiuã, sub ratione autem influxus rei creatæ suum esse tribuentis, est creatio actiua: quandoquidem ipsa essentia, aut volitio, seu cognitio diuina, cum ab æterno sint in Deo, per se immediate nequeunt esse proximum & immediatum fundamentum eiusmodi relationis temporalis. Tũ quia voluntas & intellectus diuinus, actusque earundem potentiarum, sunt principium quo creationis: Ergo non sunt ipsa creatio. Deniq; verius est, potentiam executiuam in Deo, quã est immediatum principium creationis, esse ratione distinctam ab intellectu & voluntate, seu actibus intelligendi & amandi eiusdẽ Dei, vt suo loco dictũ disp. 2. q. 1. dub. 2. Ergo creatio, quã formaliter & immediate est actus potentia executiue in Deo, non est ipsa intellectio aut volitio diuina, aut vllus omnino actus immanens in Deo.

13 Ad fundamentũ oppositum, negatur assumptum: quia ratio, cura actio & passio nõ sunt purẽ relationes, sed aliquid distinctum à relatione, nõ est ratio mutationis vel motus; sed id potius habent ex cõmunissima ratione sua, quatenus actio & passio sunt, vt dictũ.

Quod vero præterea S. Thomas, Caietanus, aliiq; nonnulli in contrarium citati authores, vniuersim subinde indicant, actionem etiam transeuntem esse in ipso agente formaliter, suppono ex cõmuni Philosophia parum esse probabile. Deniq; notandum, etsi creatio formaliter non sit pura relatio, vt dictum, eam tamen esse fundamentum relationis realis & prædicamentalis in creatura resultantis; cum è contrario relatio Creatoris ad creaturam sit tantum rationis; iuxta S. Thomam hic cit. q. 45. art. 3. ad 1.

14 Quod ad quartũ atinet, controuertitur, an Creatio, siue consideretur vt actio, siue vt passio, sit in aliquo prædicamento. Cuius difficultatis decisio pãdet ex eo, an sit verũ accidens. Etenim non esse verũ accidens, vrget ratio S. Thomæ, quã ipse sibi obiicit cit. a. 3. obiect. 3. Si enim esset verum accidens, tunc vt sic formaliter esset in subiecto; nec vero subiectum eius aliud esse posset, quam ipsa res creatã: at vero hoc est impossibile. Quia subiectũ prius est accidente, & cõseruat accidens: res vero creatã, cũ sit terminus creationis, in quantum actio est vel passio, posterior est ipsa creatione: quandoquidem vniuersim terminus est aliquid posteriõs actione & passione, cuius est terminus.

15 Ad hoc argumẽtũ respondet S. Thomas 1. p. q. 45. a. 3. ad 3. quod *Creationis secundum quid significatur vt mutatio, creaturã est terminus; sed secundum quod vere est relatio, creaturã est eius subiectum, & prius cũ in esse, sicut subiectum accidente; sed habet quandã rationem prioritatis ex parte obiecti, ad quod dicitur, quod est principium creaturã.* Ita S. Thomas: & sensus videtur esse, creaturã nõ esse vere & proprie terminũ creationis, sed significari per modum termini, si cõsideretur creatio per modũ mutationis, cũ tñ re ipsa non sit mutatio. Re ipsa vero creaturã esse subiectũ creationis, in quãtũ nuda relatio est, vt esse iã antea dixerat S. Thomas, ac proinde nihil ob stare, quo minus creatio sit verum accidens, & in prædicamento Relationis. Sed reuera hæc responsio non satisfacit; quia creatio, et-

- iam si non sit mutatio, est tamen vera actio, seu productio adeoq; via ad creaturam, velut terminum, siue interim sit mera relatio, siue modus absolutus; id quod etiam fatetur Vasquez cit. disp. 173. c. 2. n. 5.
- 16 Qui tamen nihilominus negat, creationem esse in aliquo prædicamento; quia siue sit modus absolutus, siue, ut ipse putat, mera relatio, non est tamen verum accidens; eo quod non sit aliquid ex natura rei distinctum à substantia; cum tamen, etsi quidem vniuersim non requiratur, ut prædicamenta omnia, distinguantur inter se ex natura rei, certe tamen ad verum accidens prædicamentale requiratur, ut à substantia à parte rei distinguatur; quandoquidem alias non est verum & reale accidens substantiæ.
- 17 Sed nec ista responsio probatur. Quia cum creatio sit vera productio substantiæ, omnis a. productio rei create ex natura rei distinguatur ab ipsa re producta, non videtur recte negari, creationem ex natura rei (modaliter) distinguari à re creatâ. Et confirmatur. Quia creatio secundum sententiâ, quâ sequitur Vasquez, à parte rei formaliter est relatio; res autem creatâ formaliter non est relatio. Taceo, quod creatio formaliter nõ semper durat, quâ diu res est, ut expresse docet S. Thomas cit. q. 45. a. 3. ad 3. vbi ait: *Neq; tamẽ oportet, quod quâ diu creatura sit, dicatur creari; quia creatio importat habitudinem creaturæ ad creatorem, cum quadam nouitate seu inceptioe.* Sed de hac re plura dubio 3.
- 18 Respondeo igitur, creationem, siue consideretur, ut est actio, siue ut est passio, conuenire quidem cû accidente in hoc, quod nullo modo est, nec esse potest sine substantia, cui quasi inexistat, siue cum qua identificetur; reuera tamen verus ac proprius accidens non esse; ac proinde nec in prædicamento actionis constitui. Tum quia constituit vnum per se cum substantia rei create, de cuius substantia est illa dependentia à Deo, per actionem, quæ est creatio, saltẽ si consideretur simul, prout est conseruatio. Tum quia ex natura sua independens est à subiecto; si quidem hoc de ratione eius est, quod sit actio, seu productio independens à subiecto. Alia ratio est calefactionis, vti pater; alia itẽ (ex parte) ratio generationis substantialis; siue hæc consideretur, ut est productio forme substantialis; hæc enim sit depẽdet à materia, velut subiecto; siue vt est vnitiõ materiæ cum forma, nam & hæc sit dependenter ab extremis vniõdis, natura præsuppositis, in quorũ vno vel utroq; inhæret vnio; siue interim generatio seu actio substantialis sit in prædicamento actionis, siue non; de quo Philosophi disceptant.
- 19 Est ergo actio creationis, modus quasi quidã substantialis, qui proprie non dependet à subiecto; tamen nullo modo esse possit nisi per identitatem cû re modificata, hoc est, creaturâ. In qua re conuenit aliquo modo cum actione illa, per quã quantitas in Eucharistia cõseruatur sine subiecto; quia neq; ista actio formaliter vt sic inhæret, aut inhære pot in aliquo tanquã subiecto, quia est via, per quã quantitas ponitur extra subiectum, vt docet Albertinus tõ. 2. Prædicam. Quantit. disp. 1. q. 3. n. 11. Vbi tñ nihilominus addit, actionem, per quã quantitas conseruatur sine subiecto, habere rationem accidentis; quia ad hoc, inquit, sufficit, vt illa actio sit via ad terminũ accidentalem & sit inseparabilis saltẽ naturaliter à suo termino, & non faciat vnum per se cum illo, de quo a. hbi.

## DVBIUM II.

*An proprium sit solius Dei creare.*

S. Thom. 1. p. q. 45. a. 2. 5. 6. 7. 8.

Supponendũ in hac re primo, tanquã ex fide certum, Deum re ipsa, tanquã causam principalem & independentem, creasse & produxisse cœli & terræ; adeoq; totum mundum, & omnia quæ in ipso comprehenduntur; creando nimirum propria creatione saltẽ Angelos, animas, & materiã primã; quæ sine cõtrouersia capaces sunt propriæ creationis, nec possunt nisi per propriã creationem existere; quicquid sit de creatione compositorum, (de quib. actũ dub. 1.) quæ tamen ipsa quoq; iuxta fidem, velut causã principalis produxit, quicquid hæretici mox citandi dixerint: Pater hoc ex innumeris Scripturæ locis, præsertim Gen. 1. Neq; vero creare est proprium alicuius persone, iuxta cõmunem S. Thomæ q. 45. a. 6. sed conuenit omnibus tribus personis, & earum singulis, secundum essentiam, nimirum reduplicatiue; nã specificatiue conuenit & singulis quoad propriam personalitatem; quo modo intelligẽs Gregorius de Valentia disp. 3. q. 2. pun. 3. Interim tamen vti quadam appropriatione Patri tribuitur potentia, Filio sapientia, Spiritui sancto bonitas, ita creatorẽ esse, attribuitur Patri; vt ei qui non habet virtutem creandi ab alio; Filio tribuitur, quod per illum creata sint omnia; Spiritui sancto, quod per illum gubernentur omnia, vt docet S. Thomas cit. q. 45. a. 6. de qua res supra disp. 4. q. 1. dub. 7.

Secundo suppono, re ipsã solum Deum creasse & produxisse mundum ex nihilo, vti eadẽ scriptura testatur; Genes. 1. & definitur in Concilio Lateran. cap. Firmiter, de sum. Trin. & fid. Cathol. & docet S. Thomas q. 44. a. 1. & q. 65. a. 3. etsi id perperam negatum olim fuerit à multis hæreticis, qui aut totius mundi, aut saltẽ rerũ corporearũ, vel certe quarundã singularium rerum productionem, Deo abrogatã, Angelis, aliisue Virtutibus seu Intelligẽtiis, aut malo cuidã Principio tribuerunt. In quib. fuerunt. Simon Magus, apud Irenæum l. 1. aduer. heres. c. 20. & Menander eiusdem Magi discipulus apud Irenæum ibidẽ c. 21. item Saturninus, apud Irenæum ibidem, Tertullianus lib. de præscript. & Augustinus lib. de hæres. har. 3. item Basilides Menandri discipulus, apud eundẽ Irenæum l. 1. c. 23. item Carpocratiani & Gnostici apud Irenæum c. 24. qui hæretici omnes dicebant, mundum non à Deo, sed ab Angelis conditũ fuisse; in qua re tamen variabant, vel videre est apud citatos, & notauit Gregorius de Valentia disp. 3. q. 1. pun. 1. Huc spectant etiã Cherintus apud Irenæum cap. 25. & Manichæi, apud Augustinũ hæres. 46. & Epiphanium hæres. 66. item Audiani apud Theodoretum l. 4. hist. c. 10 & lib. 4. hæret. fab. & apud Augustinum hæres. 75. Deniq; Albigenes cum Manichæis senserunt, creaturas visibiles non esse à Deo bono, sed à malo Deo, vt inter alios errores eorundem refert Antoninus 3. part. hist. tit. 19. cap. 1. Quæ omnia manifeste aduersantur Scripturæ Gen. 1. Item Plal. 145. v. 6. *Qui fecit cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt.* Quod etiã habetur Act. 14. v. 14. Et Rom. 11. v. 36. *Quoniam ex ipso, & in ipso, & per ipsum sunt omnia.*

His positis, est Assertio I. Solius Dei velut causæ principalis adeo proprium est creare, seu re aliquam ex nihilo producere, vt id nec secundũ absolutã Dei

poten-

potentiâ, creaturæ cōuenire possit. Ita docet S. Thomas cit. q. 4. 5. a. 5. & consentiunt omnes Doctores, cū Magistro in 2. dist. 1. excepto Durando ibid. q. 4. vbi affirmat, posse aliquâ creaturam produci, cui velut principali agētī natūa virtute cōueniat creare. Quæ sententiâ aperte aduersatur non solū ceteris Scholasticis omnibus, sed et SS. Patribus, contra Ariū disputantibus, qui ex eo et probant, Filium esse verū Deū, quia fuit principium creationis, per quod facta sunt omnia: vbi plane supponunt, nullam creaturâ posse esse causam principalem creationis, et secundum potentiâ Dei absolutam. Vide Athanasium serm. 3. cōt. Arianos, Cyrillum Alexandrinum l. 2. in Iulianum, Basilium l. 4. cont. Eunomium, Augustinum lib. 9. de Gen. ad lit. & l. 12. de ciuit. c. 24. & l. 3. de Trin. c. 8. Quo fit, vt opposita sententiâ Durandi non solum improbabilis, sed etiam non admodum tuta in fide existimatur.

Ceteri rationem contradictionis hac in re ostendere, difficile est, vt videre est apud Gregoriū de Valentia hic disp. 3. q. 2. pun. 4. Suarez Metaph. disp. 2. o. sect. 2. Vasquez disp. 175. c. 1. & 2. Albertinū tom. 1. princ. 1. coroll. 17. Et quidē Suarez loc. cit. tandē fatetur, potētiâ a posteriori, & ex ipso facto probari, hanc impossibilitatē, quā vlla ratione a priori. Eodē modo Gregorius de Valentia loc. cit. ait, se rationem huius a priori nondum compertam habere, tamen, propter scripturæ & Patrum auctoritatem, huic sententiæ adherendum esse.

Mihi tū satis firmæ videntur tres rationes S. Thomæ, quarū prima sumitur ex ipso hic cit. q. 4. 5. a. 5. & est talis Quia creare est producere re. non tū vt est in certo genere entis, puta hominis, lapidis, &c. sed etiam absolute, vt ens est. Sic n. ex nihilo tota; ipsumque adeo esse, et vt præcisè esse est, accipit per creationē: Debet ergo creans principali virtute, potestatem habere super ens creabile, vt tale est: at qui hoc est impossibile, vlli creaturæ; non solum quia non potest dari creatura suprema, qua nequeat esse perfectior, quaque adeo vim habeat producendi ceteras res omnes, sed etiam quia talis creatura deberet posse producere se ipsam: cū & ipsa sit ens creabile: hoc vero manifeste implicat cōtradictionē: Ergo & illud, ex quo sequitur.

Secunda ratio colligitur ex eod. S. Thomæ q. 3. de potentiâ 4. quā ceteris præfert Albertinus loc. cit. a. n. 2. Quia actio transiens, respectu principalis agētis, non potest habere altiorē modū essendi, quam actio immanens eiusdē; cū hæc sit potior, nobilior, & radix alterius: at qui impossibile est, vt actio immanens vllius creaturæ formaliter vt sic habeat esse per se subsistēs, & independens à subiecto; cū necessario sit accidens, nec dari possit vllū ens creatū, in quo non sit cōpositio actus & potentiæ, seu subiecti & accidentis, vt suppono ex dictis de simplicitate Dei disp. 2. q. 3. dub. 1. Ergo nec actio eiusdem transiens potest esse per se subsistens, & à subiecto independens: quod si dependens est, non potest esse creatio, vt pater.

Tertia ratio est eiusdē S. Thomæ hic cit. q. 4. 5. a. 5. ad 3. Quia ad creandū requiritur potentia agendi infinita; quæ impossibilis est creaturæ. Assumptū probatur. Quia in agente tanto maior virtus requiritur, quanto potētiâ passiuā est magis remota ab actu; minusque ad actū proportionata; cum ergo in creatione nulla penitus supponatur potētiâ passiuā, nullaque sit proportio inter nullam potētiâ passiuā, & aliquam

potentiâ passiuā, quā agens naturale ad agendū supponit, fit vt infinita virtus seu potentia in principio principali creationis requiratur. Oppugnat quidem hanc rationem Albertinus cit. tom. 1. princ. 1. coroll. 17. num. 11. ratus, non requiri ad creandū virtutem infinitam in agente, sed actum purum; ex quo quidem infinitas inferitur. Sed probabilitatem argumento non adimit.

Assertio II. Probabilius videtur, secundum absolutam Dei potentiam, posse creaturam assumi à Deo, & adhiberi, velut instrumentum supernaturale physicum ad creandū. Hæc assertio non est certa, sed solum videtur probabilior, vt dictū: est enim hæc res inter Doctores etiam nū hodie admodū cōtrouersa.

Et enim negatiuam sententiâ tradunt, vt apparet, S. Thomas hic cit. q. 4. 5. a. 5. & 2. cont. gēt. c. 2. 1. item Ferrarientis, Caietanus, & recentiores Thomistæ ibid. Albertus in 2. d. 1. a. 7. Scotus in 4. d. 1. q. 1. Richardus dist. 5. Hieronymus q. 2. quos sequuntur Gregorius de Valentia disp. 3. q. 2. pun. 4. Molina q. 4. 5. a. 5. disp. 2. Foleca 5. Metaph. c. 2. & Vasquez hic disp. 176. c. 2. & 3.

Ratio præcipua est. Quia putant, esse de ratione instrumenti physici, vt habeat in passo propriâ, & sua virtute natūa actionē præuiam, quasi dispositiuā ad principalem effectū; quæ non potest habere locū in creatione, vt patet. Addit Vasquez c. 3. ex eodē fundamento, non esse vim seu potentiam obedientialem actiuam in Sacramētis, aut in humanitate Christi, ad gratiam physice producendam, nec in rebus vllis ad vllōs effectus supernaturaliter producendos, nisi ad quos res ipsæ habeant connaturalem quandam proportionē: quæ tamen qualis sit, non potest explicari.

Quare in hac re proprie Philosophica, veriorē existimo cōtrariam sententiâ affirmatiuā; quā olim tradiderunt Magister in 4. dist. 5. c. vlt. & S. Thomas ibid. q. 1. a. 3. quæst. iun. 3. ad 4. & in 2. dist. 1. q. 1. a. 3. & tunc Suarez Metaph. disp. 2. o. sect. 3. Albertinū tom. 1. princ. 2. coroll. 1. n. 3. 2. aliique recentiores cōplures. Fundamentū est. Quia nulla potest ratio cōtradictionis adferri, nec et vlla ratio a posteriori, qua probetur hæc impossibilitas. Allatas n. esse falsas, suppono ex materia de Incarnatione, & de Sacramētis, vbi de potentia actiuā obedientiali ex instituto agendum est. Quod si principia illa admitterentur, tū nec verba Consecrationis possent esse in instrumentū Physicum transubstantiationis, nec vlla Sacramenta instrumenta Physica sui effectus; nec ignis infernalis instrumentum physicum ad cruciandos dæmones; quorum hoc refutauimus disp. præced. q. 6. dub. 6. illa autem falsa esse dicitur suo loco.

Accedit, quod si S. Thomas hic cit. q. 4. 5. a. 5. accurate legatur & expendatur, vix possit aliū sensum admittere, quam non posse dari instrumentū creatum, quod habeat vim connaturale, & sua natura ordinatā ad creationē; sicut calor habet vim ad producendū ignē; de quo non est difficultas, vt recte Suarez loco citato. Ita n. inter alia habent verba S. Thomæ: *Causa secunda instrumentalis non participat actionē causæ superioris, nisi in quantum per aliquid sibi propriū dispositiue operatur ad effectum principalis agentis. Si igitur nihil ibi ageret, secundum illud, quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum. &c.* Quæ verba non significant absolutam impotentiam; sed id quod iuxta rerum naturam fieri solet & potest.



nitum secundum omnes suas partes actu existens; non aut quoad aliquam rem, cum qua sit coniunctum eiusmodi infinitum actu; seu quod idem est, potuisse mundum eum omnibus suis rebus tam permanentibus, quam successivis esse ab æterno; modo ne simul ponatur aliquid, ex quo eiusmodi infinitum sequatur; uti V. G. sequeretur, si fuissent generationes humanae ab æterno; tunc enim simul actu existerent infinite animæ. &c. Ita docet S. Thomas hic q. 46. art. 2. ubi ait: *Mundum incepisse est creditio, non autem demonstrabile, vel possibile. Et hoc inquit, verile est, ut consideretur, ne forte aliquis, quod fidei est, demonstrare præsumens, rationes non necessarias inducat, quæ præbeant materiam irridendi infidelibus, existimantibus nos propter huiusmodi rationes credere, quæ fidei sunt.* Idem profequitur fusi in solutionibus argumentorum, præsertim resp. ad §. Idem docent Heruæus in 2. dist. 1. q. 1. Capreolus in 2. dist. 1. q. 1. Sonzinnas 12. Metaph. q. 3. Caietanus hic cit. a. 2. & fere Sotus lib. 8. Physic. q. 2.

7 Sexta sententia est, etsi quidem consulendo rationem naturalem, & argumenta hæcenus ex ea depropta, non possit demonstrari impossibilitas æternitatis mundi, saltem quoad res permanentes; tamen perpendendo simul, ut par est, auctoritatem SS. Patrum, absolute sentiendum, mundum quoad nullam omnino re potuisse esse ab æterno; ac proinde existimandum esse, huius impossibilitatis subesse aliquam rationem, licet ea nondum satis comperta videatur. Ita docet Gregorius de Valentia hic disp. 3. q. 3. pun. 2.

8 Assertio I. Impossibile est, et secundum absolutam Dei potentiam, ut etiam intrinsece successiva, qualia sunt tempus & motus, fuerint ab æterno. Ita sentiunt Auctores 2. 3. 4. & 6. sententia; quo fit, ut hæc assertio sit communis Doctorum, quam fere omnes et recentiores sequuntur, teste Ruuio. Probatur, præter ea, quæ dicuntur pro assertione 2. & 3. Primo. Quia impossibile est, ut sit æternum, de cuius ratione intrinseca est habere esse, post non esse: ita sunt entia successiva: Ergo. Maior patet. Minor probatur. Quia est de ratione intrinseca motus, ut supponat suum subiectum etiam prius duratione existens: siquidem est de ratione motus, ut ratione illius subiectum nunc aliter se habeat, quam prius; & impossibile est, cogitare motum esse; quod nunc & in omni duratione antecedere eodem modo se habuit. Et cum tempus sit numerus, aut duratio motus, eadem est ratio procedit de tempore.

9 Secundo. Quod necessario successivæ producit, non potest esse ab æterno: sed omne ens intrinsece successivum, ut tempus, motus, necessario successivæ producit. Ergo. &c. Maior tanquam extra controversiam posita tribuitur S. Thomæ hic q. 46. a. 2. ad 1. à Valentia cit. pun. 2. notab. 4. & probatur. Quod enim successivæ producit, necessario tempore est posteriori causa producente; quandoquid ad eius productionem requiritur successio, quæ non potest esse sine mora. Minor videtur per se nota; quia impossibile est, ut simul producat (productione transeunte) quod intrinsece successivum est; quin eo ipso & simul esset, cum simul producat; & non simul esset; quia est ens successivum.

Tertio. Ad cuius existentiam necessario requiritur mora, impossibile est, ut sit ab æterno: sed ad entis successivæ existentiam necessario requiritur mora: Ergo. &c. Maior & minor constant ex dictis.

Quarto. Si entia successiva, ut motus & tempus, fuissent ab æterno, tunc daretur infinitum actu; mirum infiniti dies, infinitæ circulationes actu in rerum natura posita. Sed consequens est impossibile; ex dictis supra disput. 2. q. 4. dub. 2.

Quinto. Aut tempus ponitur ab æterno, secundum se totum, vel secundum aliquam partem sui partem: neutrum potest dici. Non primum; quia alias omnes partes temporis fuissent inter se coeternæ, adeoque simul; quod est impossibile; cum necessario una sit altera posteriori. Nec secundum; tum ob dictam causam, quia argumentum pariter procedit de qualibet parte temporis. Tum quia per se absurdum est, ut pars temporis diutius duraverit, quam totum tempus. Atque hæc meo iudicio evidenter probant positam assertionem.

Assertio II. Impossibile item est, secundum rationem naturalem, ut mundus fuerit ab æterno, quoad res permanentes. Ita sentiunt cum Auctoribus secundæ sententiæ, à qua re ipsa non dissentit Bonaventura, ut dictum est; ea demque plane est sententia SS. Patrum, ut sequenti assertionem dicetur. Probatur. Primo. quia nulla creatura, etiam permanens, potuit esse ab æterno, nisi per creationem seu productionem ex nihilo; aut saltem præsupposita secundum naturam creationis alicuius ex nihilo, ut omnes fatentur; sed impossibile est, ut per creationem ex nihilo aliqua creatura fuerit ab æterno: &c. Ergo. &c. Minor probatur. Quia, ut dictum dub. 1. in definitione creationis, vocula *Ex nihilo*, significat terminum à quo intrinsece ipsius creationis, ut eum S. Thomas ibidem, & communi Theologorum docet et Vasquez disp. 17. c. 3. n. 12. Atque in omni mutatione vel productione, terminus à quo debet natura vel tempore præcedere terminum ad quem, seu existentiam eiusdem, ut fatentur omnes: Ergo etiam in præsentem Nihilum rei debet natura vel tempore præcedere existentiam rei create: quod libenter et cum Marfilio in 2. q. 1. a. 2. Bonaventura in 2. dist. 1. a. 1. q. 2. & a. 3. q. 1. Scotus in 2. dist. 1. q. 2. adeoque communi Doctorum, fatetur Vasquez loco citato: atque impossibile est, ut Nihilum rei præcedat solum natura, & non et duratione ipsam existentiam rei create: Ergo debet et tempore antecedere re create: ac proinde impossibile est, ut res aliqua creetur, seu producat ex nihilo ab æterno. Duæ consequentiæ posteriores sunt manifestæ.

Assumptio, unde tota vis argumenti pendet, probatur. Quia ut Nihilum natura antecedit, non satis est, ut res aliqua ex se ac sua natura nihil futura fuisset, nisi à Deo præveniretur; hoc enim non est natura prius re fuisse nihil, sed futuram fuisse nihil, nisi præveniretur; uti ex terminis patet: sed necesse est, ut à parte rei Nihil ipsius rei fuerit saltem natura prius, quam res esset: at vero impossibile est, & manifestum in terminis contradictionem involuit, ut Nihil ipsius rei vete præcedat, seu existat, & solum sit natura, & non et tempore vel duratione prius, quam res ipsa: tunc enim Nihil rei, & res ipsa, simul esse deberent in eodem instanti temporis vel durationis, quod est impossibile; Ergo impossibile est, ut Nihilum rei præcedat solum natura, & non etiam duratione existentiam rei create.

Idem docent in simili, qui recte philosophantur, de privatione ad generationem præntia; nempe privationem in omni generatione naturali, de qua locutus est Aristoteles, & ad quam velut Principium requisitum privationem, necessario & natura, & tem-

pore antecedere instans generationis; quod si per creationem simul producat materia cū forma, eius generationis seu productionis principium non esse priuationem in materia; nec de hac productione locutum esse Aristotelem, Eademque est communis & solidissima ratiocinatio SS. Patrum contra Arianos, vt inferius dicitur assert. 3.

14 Duo solum contra eā obici possunt: primo, quod iuxta Anselmum in Monolog. c. 8. S. Thomam hic q. 46. a. 2. ad 2. & Durandum loc. cit. vocula, *Ex nihilo*, in definitione creationis accipi potest etiam negative duntaxat; vt sensus sit, Non ex aliquo, seu ex nullo subiecto presupposito; quod verificari potest, etiam si nunquam præcesserit Nihilum, velut terminus à quo, nec naturā, nec tempore.

15 Respondeo, hanc non esse sufficientē, & ad equatā explicationē eius vocis, vt ex S. Thomā dictū dub. 1. non solum quia hac ratione ē generatio æterna Filii effect creatio; quia est ex nullo subiecto; nec omnino ex aliquo secundū durationē presupposito; sed etiā quia cum omnis creatura sit se ac sua natura nihil, debet ipsa per creationem (quando fit tota simul) ex suo quasi nihilo extrahi ita vt terminus à quo, sit ipsū nihil eiusdē rei. Quo posito, infallibiliter sequitur, nihil, & non esse ipsius rei debuisse ēt tempore antecedere creationē, sicut vniuersum terminus à quo nō solum natura, sed et tempore antecedit productionē instantaneam & existentiam termini ad quem: licet non ideo, quicquid altero natura prius est, etiam tempore sit prius, vt patet in substantia solis, respectu lucis ex ea emanantis.

16 Secundo obici potest instātia desumpta à personis diuinis: Quia si hoc argumentū aliquid probaret, simul probaret etiam, productionem Filii in diuinis esse debere à non esse Filii, velut termini à quo, tempore vel natura prioris ipsa productione eiusdem: quo posito, pariter concludetur, Filium non fuisse coæternum Patri; quod est contra fidem.

Respondeo, esse manifestam disparitatem inter Filium Dei, & creaturas: quia cū existentia sit de ratione & essentia Filii, non potest in ipso nuda essentia secundum ordinē naturæ priorē esse existentia; ac proinde nec potest eius productio habere terminum à quo. Non esse Filii; sed ea potius est nuda & simplex emanatio sine termino à quo; quae de causa ēt SS. Patres contra Arianos tantopere pugnabant, Filium non esse ex non entibus, seu ex non Ente; sed esse ex essentia Patris, non vt hæc dicat terminum à quo, sed Esse intrinsecū, sola origine, nō natura præexistens in Patre, vt suo loco dictum disp. 4. q. 1. dub. 7. & 8. Aliter se hic res habet cum creaturis, vt dictum.

17 Secundā rationem ita formo. Nulla res creata potuit produci ab æterno, nisi eius productio absolueretur & finiretur in instanti conceptibiliter indiuisibili, & coexistente æternitati: sed hoc est impossibile. Ergo, &c. Maiorem primum declaro. Voco n. instans e conceptibiliter indiuisibile, quod nullā penitus nec actualem, nec virtualem habet extensionem, sed in genere seu ratione durationis penitus indiuisibile est, ita vt nullam inuoluat moram seu durationem, siue permanentem, siue successiuam; cuiusmodi est instans nostri temporis.

18 Hoc posito probatur maior. Quia si productio illa creaturæ nō absoluitur & finitur in tali instanti; ergo

non finitur nisi in aliqua duratione longiori, quā sit tale instans; ac proinde indiget mora, ad hoc vt finiatur & perficiatur. Ergo impossibile est, vt sit æterna seu ab æterno; quandoquidem nihil potest esse æternum, quod ad sui productionem & existentiam moram requirit, vt supra etiam de rebus successiuis argumentati sumus.

Nec obstat, quod tale instans, cum sit instans temporis, quod antea probauimus æternū esse nō posse, non sit possibile, adeoq; nec cogitabile in æternitate. Primo n. instans eiusmodi indiuisibile etiam esse potest in re, quæ non mensuratur tempore nostro, sed æuo, aut tempore discretio, vt agendo de Angelis, & Angelicis operationibus diximus, & communiter omnes admittunt; & sane cum aliqua creata duratio in re ab æterno creata admitti debeat, necessario admitti debent eiusmodi instantia eiusdem durationis saltem conceptibilia. Secundo cum instans ēt temporis nostri non sit res successiua, sed per manens, hoc est, tota simul, quid nō ab Authoribus oppositæ sententia, qui fatentur res permanentes potuisse esse ab æterno, concedatur etiam, eiusmodi instans esse potuisse ab æterno? Tertio deniq; quæramus saltem per impossibile, de hac propositione conditionata; si instans eiusmodi fuisse possibile, aut cogitabile ab æterno, an tunc in eodem instanti perfecta fuisset creatio illa rei permanentis, certe negari id nullo modo potest, ob factum superius discursū. Cōstat ergo Maior.

Minor propositio probatur primo; quia tunc res creata habuisset principium durationis; Ergo non fuisset æterna. Antecedens probatur. Quia quicquid est, aut producitur in primo instanti suæ durationis, seu quod idem est, cuius rei productionis seu existentia primū instans est assignare, illa res habet principium durationis; sed ex hypothesi, si res, de qua agimus, producta fuisset in instanti modo superius explicato, producta fuisset in primo instanti; quia illud est primū instans durationis, ante quod non est aliud, & post quod tamen sequitur duratio morante illud vero instans productionis, cum ponatur ab æterno, non fuisset aliud; Ergo fuisset primum.

Secundo probatur eadem Minor. Quia si productio illa ab æterno fuisset absoluta vnicūq; modi instanti indiuisibili; tunc ipsum etiam eiusmodi instans indiuisibile, in quo res ponitur producta, saltem conceptibiliter fuisset ab æterno, adeoq; æternū: sed hoc manifeste est impossibile, & inuoluit contradictionem: quia hoc ipso, quod tam formaliter, quam virtualiter est indiuisibile; nequit coexistere vlli durationi, multoque minus æternitati.

Potest et eadem ratio in alium modū conformari, vt hæc sit ratio tertia; Si creatio vllius rei permanentis ab æterno fuisset possibilis, cum ea non potuisset finire, nisi lapsu totius æternitatis à parte ante; consequens est impossibile. Ergo, &c. Maior probatur. Quia ponatur quodecunq; tempus seu duratio finita, ante lapsum totius æternitatis à parte ante; quæro vtrum super sit tempus seu duratio finita, an infinita, post finitam creationem: non finita; quia cum antea etiam præcesserit solum finita duratio ex hypothesi, sequeretur hoc ipso rem solum fuisse tempore seu duratione finita; imo etiam ipsam æternitatem, qua ponitur durasse res creata, solum fuisse durationem vndiquaq; finitam; quia ex duabus durationibus finitis,

non potest fieri infinita duratio, vt patet. Nec dici potest, superesse infinitam durationem: quia ex hypothefi, ea duratio supponit aliam priorē durationē, in qua res fuit creata: Ergo impossibile est, vt duratio, quæ superest, fit infinita. Quare cum creatio rei non potuerit finire tempore finito, necessario sequitur, eā non potuisse finire, nisi lapsu totius æternitatis a parte ante, vt i propositio maior affisabat.

23 Minor autem, nempe hoc ipsum esse impossibile, probatur ex dictis; quia sic creatio illa rei indigniffet mora & lapsu totius æternitatis; ac proinde hoc ipso non potuiffet esse æterna; quandoquidē non potuit existere prius, quam ellet producta; nec verō potuit etiam esse producta ex dictis, nisi in termino totius æternitatis: siquidem productio solum finita & perfecta esse poterat, post lapsum, adeoque in termino totius æternitatis antecedentis.

24 Aduerfus vtramq; hanc rationem hoc solum videtur obici posse; quod si aliquid probaret, probaret et nec productionem seu generationē filii potuisse esse æternam: quia pariter applicari potest ratio; eam nō potuisse esse nisi instantaneam, aut finitam primum post lapsum totius æternitatis; ex quo sequitur, non potuisse esse æternam.

25 Respondeo, negando totum assumptum: quia est diuersissima ratio, quoad hoc, generationis æterni filii, & æternæ productionis creaturæ; primum ex parte subiecti; quia creatura, vt cunq; fuerit æterna, est tamen mutabilis, & natura sua defectibilis; Filius æternus nequaquam: secundo ex parte durationis; quia creatura non potuit intrinsece durare & existere per ipsam incretam & immutabilem durationem æternitatis; sed solum per creatam aliquam, adeoque hoc ipso mutabilem durationem: tertio ex parte productionis; quia productio seu creatio creaturæ, quantumuis æterna, ponitur sua natura, ac re ipsa & finita, productio vero seu generatio filii, cū sit immanens in Deo, ac ipsa entitas Deitatis, ex se ac natura sua penitus immutabilis est, nec vnquam potest ita esse perfecta, vt sit finita seu terminata. Quo fit, vt ei nequaquam possit applicari supradicta ratio, eam scilicet, aut esse instantaneam, aut non nisi lapsu æternitatis perfectam & finitam; sed est ac fuit semper; ac necessario erit in omnem æternitatem interminabiliter ac perpetuo perfecta, sed nunquam finita; nec opus habet ad suam perfectionem lapsu æternitatis: quia intrinseca ipsi æternitas, cum sit infinita, increata, immutabilis, & interminata, nunquam labitur, sed semper est eadē; idemq; in illa est fieri & esse, perfici & perfectā esse, semel esse ac semper perpetuoq; esse: quod tamen in creatura eo ipso, quod necessario ac intrinsece mutabilis est, nec existere potest intrinsece nisi per creatam aliquam & natura sua mutabilem durationem, siue existentiam, longe secus accidit, vt dictum: vt proinde in productione creaturæ recte procedat argumentatio, sed non in æterna filii Generatione.

26 Atq; hæc tres rationes, omiffis aliis, quas nihil attinet examinare, ad propositum mihi videtur sufficere: nec meo iudicio sunt minus efficaces, quam quibus probatur existentia Dei. Neq; opus est, vt fidem nostram, de initio mundi his rationibus fulciamus; quando ea longe firmiori fundamento nititur; & aliud est, mundum re ipsa non fuisse ab æterno productum, quod est de fide, aliud non potuisse ab æterno

produci, quod non est de fide, sed extrinsece solum. confirmare potest propositionem priorē de fide, quod adeo non est improbandum, vt sit etiam magnopere laudandum, ac nonnunquā potest esse necessarium, aut saltem valde opportunū apud eos, qui fidem & fidei principia nondū admittunt. Alioquin etiam S. Thomas nullam debuiffet rationem naturalem adhibere ad probandam existentiam, aut infinitatem, vel simplicitatem Dei, aliaque attributa diuina, quod tamen, vt suo loco disp. 2. vidimus, accurate ipse & diligenter præstitit.

27 Assertio III. Sed etiam iuxta SS. Patres fatendum est, impossibile esse, vt mundus, siue quoad res permanentes, siue successiuas, fuerit ab æterno. Hæc assertio contra Vasquez est non solū Gregorii de Valentia supra, sed etiam omnium authorum secundæ, & tertiæ sententiæ; imo etiam ipsius S. Thomæ loc. cit. qui solum negat, id posse probari ex ratione naturali euidenti, non autem ex principis fidei, vel auctoritate Patrum. Probatur ipsis Patrum testimonis, quibus sane quidem meo iudicio non satisfacit Vasquez cit. disp. 177. c. 3. Etenim Basiliius lib. 2. cōt. Euenomium ante med. ait: *Nos eiusdem dementiæ esse putamus, & creaturæ æternitatis testimonium præbere, & creaturæ Dominum hac confessione priuare.* Vbi notandum, non dicere, esse eiusdē falsitatis, aut erroris, aut infidelitatis, sed dementiæ; quæ non potest nisi illi dicto tribui, quod ipsi et rationi naturali aperte aduersatur, vt & adiunctum exemplum, cum quo Basiliius rem præsentem comparat, aperte demonstrat.

28 Ambrosius lib. 1. hexaem. cap. 3. *Quomodo, inquit, coæternum Deo mundum afferunt, & creatori omnium sociant, atq; æqualem (duratione) esse disputant creaturam?* Vbi contra Philosophos disputans, ex ipsa ratione, creaturæ superius exposita, argumentum sumit, ad probandam impossibilitatem æternitatis mundi.

29 Augustinus lib. 12. de ciuit. cap. 15. de Angelis loquens ait: *Quomodo creati dicendi sunt, semper fuisse intelliguntur?* Vbi rursum æternitatem cum ratione Creationis pugnare sentit. Et multo apertius lib. cont. Felicianum Arianū ante med. ita definit Creaturam: *Creatura est ex eo, quod adhuc non est, aut aliquādo non fuit, rei cuiuslibet corruptibilis, quantum in se est (nisi videlicet à Deo sustentaretur) Patris omnipotentis Dei voluntate facta substantia.* Et subiungit: *Hæc definitio vtrum in Dei vadat Filium, videamus.* Vbi plane vides, iuxta Augustinum, rationem ipsius Creationis & creaturæ deponere præuium nihil ex quo creatura produci debuit, vt in prima ratione primæ assertionis argumentati sumus.

30 Deniq; Damascenus lib. 1. fid. cap. 8. *Natura, inquit, minime comparati est,* (quasi dicat, minime patitur) *vt quod ex nihilo in ortum producit, eandem cum suo principio æternitatem habeat.* Et ibidem: *Creatio cum à voluntate proficitur, Deo profecto coæterna non est.* Vbi tum ex eo, quod creatura est ex nihilo, tum quod voluntarie à Deo producta est, probari putat Damascenus, eam non posse suo principio esse coæterham. De cuius tamen posteriore ratione nihil disputo; satis est ad propositum, hanc eius fuisse mentem, vt existimaret, æternitatis possibilitatem repugnare naturali rationi.

## DVBIUM IV.

*An & quo ordine, siue successione temporis, ac dierum, mundus corporeus à Deo sit productus: & quandonam cæperit tempus & mundus.*

S. Thomas 1. p. q. 66. a. 4. & q. 74. a. 3.

1 **Q**uestio est, an mundus corporeus, & totum opus hexæmeron, cuius productio Genes. 1. narratur, fuerit simul, & in eodem instanti, an verò successiue per plures dies ordine sibi succedentes productum. Et quamuis Sanctus Thomas primum q. 74. art. 2. post opus sex dierum sigillatim explicatum, eam quæstionem pertractet, quia tamen ad rationem genericam eius operis cognoscendam, pertinet, merito ac necessariò prius explicanda est, ut bene etiam notauit Gregorius de Valentia disput. 5. quæst. 2. punct. 2.

2 Sunt autem hac de re, vt notauit ibidem S. Thomas, duæ SS. Patrum & Doctorum sententia. Prima docet, simul ac eodem momento facta fuisse omnia, quæ per sex dies producta fuisse narrat Moyses. Huius sententia præcipuus author est Augustinus l. 1. super Genes. ad lit. c. 15. & lib. 4. c. 34. & lib. 5. cap. 4. & 5. & l. 11. de ciuit. c. 9. & alibi sæpe. Idem docent Philo lib. de allegor. leg. Mos. Procopius in c. 1. Genes. & Caietanus ibidem, & Canus apud Molinâ hic disp. 1. & fauet Origenes lib. 4. peri archon. c. 2.

3 Sed qui tamen variè senarium illum dierum numerum interpretatur. Augustinus n. diem eo loco vult significare cognitionem Angelicâ, prout ad vnum, quodq; opus alicui diei assignatur terminatur, quia nihil Deus produxit in rerû natura, quod non impresserit menti Angelicæ; ac proinde sex dies nihil vult aliud esse, quàm cognitionem Angelicâ ordine quodam, non temporis, aut durationis, sed rationis, fundato in ipso naturali rerum ordine, ad sex illa diuersa rerum genera, & opera terminatam. Mane autem cuiusq; diei vult esse cognitionem rerû in Verbo; aut certè cognitionem rerum in suo genere, relatâ ad laudem creatoris; vesperâ autem, cognitione earundem rerum in proprio genere absolutè.

4 Philo senario illo dierum numero solum vult significatam conditarum rerum perfectione, quæ senario numero denotari solet. Procopius ait, idèò per sex dierum intervalla fuisse adumbratum opus creationis, vt facilius à rudi populo intelligeretur. Caietanus & Canus dicunt, id fecisse Moysè, vt eâ re ostenderet naturalem ordinem, & consequentiâ productarum rerum talem esse, vt si successiue producendæ essent, non possent comodius, quàm tali ordine produci. Addit tamen Augustinus l. 6. super Gen. ad lit. c. 5. & 6. non omnia, quæ à Moysè narrantur, simul fuisse producta in seipsis, sed quædam tantum quasi potentialiter in suis seminibus, nimirum illa, quæ tertio, quinto, & sexto die facta narrantur.

5 Secunda & cõmunis Patrum sententia, vt videbimus, docet, opera illa sex dierum, quæ à Moysè narrantur, planè successiue, proprijs ac diuersis sex

diebus sibi succedentibus, vt litera ipsa sonat à Deo fuisse perfecta. Atque has duas opiniones referens S. Thomas cit. q. 74. a. 2. ait, illas quidem, si referantur ad expositionem literæ Genes. magnam diuersitatem habere: si verò referantur ad rem significatam, seu ipsum modum productionis rerum, non multum differre.

Quia quamuis S. Augustinus doceat, omnia opera sex dierum facta esse simul, ea tamen non ita explicat, sicut alij Patres. Nam primò Augustinus per terram & aquam prius creatam intelligit materiam totaliter informem; per factionem autem firmamenti, & congregationem aquarum, & appositionem arida, intelligit impressionem formarum in materiam corporalem. Alij verò sancti per terram & aquam primò creatas, intelligunt ipsa elementa mundi, sub proprijs formis existètia. Ita S. Thomas cit. a. 2. Conueniunt ergo vtrique in hoc, quod cælum & terra, omniaque elementa simul eodemq; die fuerint creata. Neque enim Augustinus materiam informem putauit duratione antecessisse reliquum e corpus, sed solum naturâ, vt rectè notauit Molina disp. 1. de oper. sex dierum, & ipsèmet Sanctus Thomas q. 66. a. 4. & q. 69. art. 1.

Deinde, cù inter opera sex dierum referuntur plantæ & animalia tertio, quinto, & sexto die producta, Augustinus non intelligit, ea producta fuisse in se, sed solum in suis principijs & elementis vt dictum; actu verò ac formaliter in seipsis fatetur postea primum fuisse producta. Quò fit, vt in eo vtrique conueniant, mundum totum substantialiter, & quoad suas partes essentielles, hoc est, elementa, fuisse simul à Deo producta; vt cuque inter in numero dierum, & proprio vniciue diei opere assignando, inter se dissentiant, vt dictum.

8 Ex quo concludit S. Thomas ibidem, in hoc quod Augustinus ponit opera sex dierum simul esse facta, sequi eundem (reipsâ) modum productionis rerum. Nam secundum vtrisque in prima rerum productione, (primo die factâ) materia erat sub formis substantialibus elementorum; & secundum vtrisque in prima rerum institutione, non fuerunt animalia & planta in actu.

Sed remanet, inquit S. Thomas, differentia quantum ad quatuor. Quia secundum alios sanctos, post productionem creaturæ, fuit aliquod tempus, in quo non erat lux. Item in quo non erat firmamentum formatum. Item in quo non erat terra discooperata aquis. Et in quo non erant formata cæli luminaria; quod est quartum: quæ non oportet ponere secundum expositionem Augustini. Ita S. Thomas: qui denique de vtrâque sententiâ iudicium ferens, neutri censet præiudicandum, sed vtriusque rationibus respondendum, vt mox ibidem facit.

9 At verò saluâ vtriusq; tanti Doctoris autoritate, planè dicendum existimo, opera illa sex dierum, qualiacunq; demum illa sint, non simul ac eodem instanti temporis, sed successiue, sex dierum succedentium spatio fuisse à Deo producta. Hæc est communis sententia SS. Patrum, vt fatetur S. Thomas loc. cit. quam speciatim tradunt Basilius, Ambrosius, Chrylostomus, Strabus, Beda & alij in c. 1. Genes. item Gregorius Nazianzenus oratione 43. in Theol. Hieronymus in quæstionibus hebraicis super Gen. Gregorius lib. 3. 2. Moral. c. 10. Rupertus Tuitiensis l. 1. de operibus Trinit. c. 37. Eadem quoque est communis ac receptissima sententia Scholasticorum cum Magistro in 2. dist. 12. & 15. vbi affirmat, hanc sen-

tentiam.

tentiam magis approbati ab Ecclesia Catholica. Eandem è recentioribus Theologis fortiter propugnant Molina 1. part. tract. de opere sex dierum, disp. 1. Gregorius de Valentia cit. disp. 5. q. 2. punct. 2. Pererius tomo 1. in Genes. lib. 1. disput. penult.

10 Probatum primò ex aperto contextu Genes. c. 1. ubi aperte ac disertè, verbisque repetitis, singuli dies ordine recensentur, primus, secundus, tertius, usque ad sextum; & singulis proprium ac peculiare opus à Deo productum tribuitur: adeò vt nec posset quidem clarius id ipsum doceri. Cum verò iuxta ipsius Augustini regulam lib. 8. de Genes. ad lit. scriptura propriè intelligenda sit, quando sine absurdo potest, (vti sanè in proposito optimè posse, docebit tota disputatio sequens,) ita hoc in primis necessarium est, in historica narratione; & eà quidem maxime, quæ pro simplici rudique populo conscripta est; vti est historia Genes. à Moysè pro populo Israelitico in primis conscripta: cui quid attinebat metaphora, adeò remota, obscura, & longè petita, & vix summis ingenijs intelligibili, ipsius tam variæ Angelicæ cogitationis (cum præsertim de Angelis eorumque productione nihil vsquam à Moysè aperte commemoratum adhuc esset) rem alioqui in se planam, velut Cymmerijs tenebris inuolutam proponere?

11 Secundo pugnat opposita sententia cum nonnullis, quæ particulatim in eà narratione à Moysè referuntur; Vt v. 2. quòd tenebrae essent super faciem abyssi: ubi aperte docetur; ante creationem lucis, aliquanto tempore præcessisse tenebras; vt magis patebit quæstion. seq. quod tamen iuxta Augustini sententiam, dici non potest, vt fatetur Sanctus Thomas, & magis patebit quæst. seq. Item quòd versu nono dicitur. *Congregentur aqua in locum vnum, & appareat arida;* ubi rursum aperte significatur, terram antea fuisse aquis coopertam. Omitto quod versu secundo dicitur, *terram fuisse inaniem & vacham;* vt proinde plantæ, arbores, & animalia non potuerint vnà cum terrâ esse producta: nam vt antea notauimus, ipse Augustinus fatetur, hæc in se non fuisse simul cum terrâ producta: etsi hoc faciat contra alios, pro opposita sententia relatos; qui in hac parte Augustino non consentiunt.

12 Tertio pugnat ea sententia cum alijs Scripturæ testimonijs, quibus de sex diebus creationis ac sabbato fit mentio: Vt Genes. 2. versu 2. *Compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit die septimo ab universo opere, quod pararat. & benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo.* Item Exodi vigesimo versu octauo. *Memento vt diem sabbati sanctifices, sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. septimo autem die sabbatum Domini tui est: non facies omne opus in eo, &c. Sex enim diebus fecit Deus calum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requieuit in die septimo. Idcirco benedixit Dominus diei sabbati, & sanctificauit eum.* Et Exodi 31. v. 16. *Custodiant filij Israel sabbatum, &c. sex enim diebus fecit Dominus calum & terram, & in septimo ab opere cessauit.* Ex quibus verbis triplex argumentum sumitur ad propositum. 1. Quia dies septimus sabbati, planè significat aliquam durationem à reliquis diebus, seu duratione reliquorum dierum, quomodo cunquè explicentur, distinctam; non enim fieri potuit, vt Deus in eodem mo-

mento crearet mundum; & ab hac creatione quiesceret: Ergo & dies sex illi inter se duratione distinguuntur. 2. Quia dies sabbati, tanquam dies quietis, non rectè opponitur sex alijs diebus, si Deus in ijs nihil distincti operis fecit; neque ratio erat, cur idè dies septimus festiuus indiceretur, si sex veri dies operum non antecesserunt. 3. Imò non potuit septimus dies esse sabbati & quietis; sed potius ipse primus dies creationis nempe dominicus, erat sabbati nomine appellandus; cum ex opposita sententia, mox eo ipso die, post instans creationis quiesceret; atq; si in vltimo instanti eius diei ponatur facta creatio, sabbatum incidet in ipsum diem lunæ.

13 Quarto aduersatur ea sententia optimis congruentijs; quæ pro successiuâ eorum productione adferri possunt; Nimirum 1. vt hac ratione Deus ipse suo quodammodo exemplo initium faceret vniuersi temporis futuri in septem dies, repetitâ identidem numeratione, dispartendi, (vti ab omnibus gentibus receptum) & vnoquoque die certum creationis beneficium (vti facit Ecclesia) præter sabbatum seu quietis memoriâ, grato animo recollendi. 2. Vt elementa statum naturis suis maxime conuenientem prius obtinerent, quàm sequentibus diebus in gratiam hominis, diuinâ voluntate materiam varijs mixtis producendis subministrando, ab eo descenderent; sicque adeò homo creationis & dispositionis diuinæ beneficium erga se magis agnosceret. 3. Vt prima productio magni mundi aptius exemplar esset & prototypum microcosmi, seu parui mundi, nimirum hominis; qui cum breui quidem tempore (velut vnicò die) quoad substantiam in vtero generetur, tamen vt perficiatur, multò longiori tempore, & quasi quinque dierum spatio opus habet. 4. Vt quisinâ esset inter res ipsas nature ordo, facilius patesceret. 5. Vt sola voluntate, nõ aliqua Deû necessitate, mundû creasse, clariùs innotesceret.

14 Postremò longè conuenientius fuit, primo die eorum mundum quoad substantiam simul producere; & deinde addito vario ornatu ac perfectione accidentali, quasi perficere & elaborare; item pro vsu hominis, domum primùm atque habitationis locum producere; deinde eam suppellectile ac necessario quasi commeatu instruere, & denique domus eiusdem incolam, nimirum hominem in eam introducere; quod in opere Creationis iuxta legitimam sex dierum distributionem fecit Deus; quàm aut primò materiam tantùm informem producere; cum Dei opera in vnoquoque genere perfecta sint; nec vllò modo rerum naturis sit conforme, materiam omni forma priuatam esse; aut simul omnia ac sine ordine, incolam cum domo, & vta loquar, auem cū nido & iumentū cū stabulo, producere.

15 Omitto alia particularia, quæ in Augustini sententiâ, aut inter se non benè cohærent, aut difficulter explicari possunt, vt videre est apud citatos, præcipuè Molinam, qui sigillatim diuersos explicandi modos authorum oppositæ sententiæ refellit. Sit ergo hoc ratum ac firmum, quod etiam nobis deinceps, in multis difficultatibus, quasi fundamenti loco deseruiet, opus creationis planè sex dierum naturalium spatio, qui ex mane & vespere, hoc est, diurni & nocturni temporis horis viginti quatuor constituntur, vt dicemus, à Deo fuisse perfectum.

Neque

16 Neque difficile est oppositæ sententiæ fundamentis satisfacere. Obijciunt primò quædam loca Scripturæ, quæ simul omnia fuisse producta indicant. Ut illud Eccles. 18. *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Et Genes. 2. *Istæ sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt, in die, quo fecit Deus cælum & terram, & omne virgultum agri.* Et Job. 40. *Eccæ Behemoth (hoc est, diabolus) quem feci secum; adeoque simul cum homine.*

Ad 1. omisâ illâ explicatione, quod vocula *simul* idem sit quod *pariter*; Respondeo sensum esse, aut quod eodem tempore sex dierum Deus fecerit omnia, aut etiam quod ea, quæ inter opera sex dierum fuerunt propriè creata, Deus simul ac eodem etiam momento creaverit omnia: aut denique quòd omnia creaverit simul, quoad sua principia & elementa; quæ omnia simul facta esse patebit quæst. sequenti. Quo ferè sensu etiam eum locum explicat Sanctus Thomas q. 74. art. 2. ad 2. post S. Gregorium lib. 3. Moral. cap. 10.

17 Ad secundum respondeo, sæpe Scripturam aliàs diem pro tempore indefinite sumere; ac verò nunquam dies sex in aliquâ narratione distinctè recensere, & singulis proprium opus assignare, eo nomine vnum diem, aut instans intelligendo. Dicit etiam potest, per diem designari diem septimum, & illud, *quo fecit*, perinde esse, ac si dictum fuisset, *quo fecerat, seu creaverat*, hoc est creationem absoluerat; eo sensu, quo initio capituli ibidem dictum fuerat, *Completisque Deus die septimo opus suum quod fecerat.*

Ad tertium locum Respondeo, *Behemoth* cum homine factum dici, non quia eodem momento, sed sub idem tempus productionis mundi factus est.

18 Secundò obijcitur decretum Concilij Lateranensis sub Innocentio III. & habetur cap. *Firmiter*, ubi definitur, *Deum ab initio temporis simul vtramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem & corporalem.*

Respondeo, sermonem esse de mundo corporeo, quoad substantiam, eumque simul fuisse productum cum Angelis, nos ipsi docuimus suprâ disputatione 5. dub. 1. Gregorius de Valentia hic loc. cit. cum S. Thoma, quem citat. opusc. 23. putat voculam *simul* significare idem quod *pariter*, siue ex æquo, de quo vide locum citatum.

19 Tertio obijciuntur quædam, quæ ex nostrâ sententiâ videntur sequi absurda, ut quod lux sine sole, cælum, sine firmamento, & stellis fuisset productum, &c. Sed hæc & similia, si benè intelligantur, absurda non esse, quæstionibus sequentibus declarabitur.

Postremò obijci potest, hac ratione consequens esse, tempus statim incepisse cum mundo condito; seu cum cælo & terrâ in principio creatis; quia dies naturalis sine tempore esse non potest: non sequens autem est falsum; quia tempus non cœpit ante motum firmamenti ac siderum; aut certè non ante lucem conditam; cum tamen firmamentum primum secundo die, sidera primò quarto die, lux verò primo quidè die, sed non nisi post tenebras fuerit creata.

Respondeo, fatendum omninò esse, cælum & terram, adeoque mundum, in principio temporis fuisse creatum; adeoque tempus simul (extrinsecè) cœpisse eum ipso mundo corporeo. Ita enim defi-

nitur cit. cap. *Firmiter* de summâ Trinit. & fid. Cathol. Itaque inter alios maxime proprius ac literalis est sensus illorum verborum, Genes. 1. v. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram*, ut docet S. Thomas q. 46. art. 3. & plerique Patres, ut Basilius homil. 1. Hexaem. Ambrosius lib. 1. Hexaem. cap. 6. Augustinus lib. 12. Confess. cap. 20. & 28. & lib. 1. de Genes. imperfecto cap. 3. & alij. Idem docet Sanctus Thomas cit. q. 66. a. 4. ubi etiam ex communi Doctorum quatuor cœva recenset, nimirum Angelicam naturam, cælum Empyreum, materiam corporealem informem, & tempus; etsi quidem hoc ipsum dictum ibidem non vsquequaq; approbet.

Sed quænam ratio fuerit illius temporis, dubitatur, ut videre est apud S. Thomam quæst. 66. art. 4. ad 3. Quidam enim tempus illud solum putant fuisse Angelicum, in successione videlicet plurium cogitationum seu actionum Angelicarum positum; à quâ sententiâ non multum abhorret S. Thomas cit. q. 66. a. 4. ad 3. Alij in altero extremo, existimant, ab initio quoque statim fuisse tempus consequens motum primi mobilis & firmamenti; quod docet Gregorius de Valentia hic disputatione quinta quæst. 2. punct. 1.

21 Sed suppositis ijs, quæ dicuntur quæst. seq. Respondendum est, cum initio mundi simul cœpisse tempus, non solum Angelicum, sed etiam rerum corporearum; verum cum distinctione. Dupliciter enim loqui possumus de tempore rerum corporearum; primò ut est realis & intrinseca duratio eandem rerum, præsertim corruptibilium, ipsiusque motus successivus, qui in rebus corporeis cernitur. Et hac ratione simul cum ipso mundo corporeo, atque elementis mundi in principio creatis, incepit tempus; statim enim ac terra, cæteraque elementa fuerunt creata, cœpit actio, ac mutua alteratio eorundem, secundum frigus, calorem, siccitatem, humiditatem, ut nihil dicam de motu locali eorundem secundum partes; nihil de ipsâ eorundem substantiâ, cuius tamen intrinsecam durationem probabilior philosophia aliam esse non putat, quàm tempus.

22 Secundò loqui possumus de tempore, ut est mensura extrinseca motus naturalis cuiuscunque; ad quod requiritur, ut sit duratio motus maximè regularis, & vniuersalis, ac notissimi; nempe ipsius primi mobilis, aut certè alterius corporis cælestis, quod eundem motum exprimat, vel imitetur. Et hac ratione fatendum est, in principio creationis mundi, tempus eiusmodi reale ac positivum nondum cœpisse; sed postea primum creatâ luce, post duodecim horas tenebrarum exactas, ut dicemus. Quanquam cum cōtrariorum sit eadem ratio, tempusque adeò non tantum sit mensura motus, sed etiam oppositæ quietis; ipsa etiam quies corporis cælestis, quatenus est privatio tanti vel tanti motus, qui tunc ad similitudinem primi mobilis peragi potuisset, perinde secundum rationem nostram tempore mensurari potest, ac si verè motus ille exitisset, ut quæst. sequenti dubio primo dicitur. Atque hoc principium temporis ad initium mundi corporis sufficit.

23 Quæri hic solet, quo die, quoque anni tempore mundus fuerit conditus. Respondeo, de die nul-

lam esse posse controuersiam. Constat enim primum diem creationis (quo nimirum celum & terra, adeoque ut dicitur quæst. seq. tota mundi substantia fuit creata) fuisse dominicum; cum dies ab eo septimus fuerit dies sabbati, ut patet ex Genes. 2. v. 2. Idque proficitur Ecclesia in illo Hymno; *Primo die mundum, quo mundus exstat conditus.*

24 Sed quoniam anni tempore seu mense mundus fuerit conditus, non omnino certum est. Gerardus Mercator in sua Chronolog. putat, mundum fuisse conditum in æstate, mense Iunio. Sed est noua & improbabilis sententia; nulloque fundamento solidonitur. Nimirum quia Genes. 8. legitur, mense vndecimo columbam fuisse reuersam ad arcam; cum ramo oliuæ virentibus folijs: quasi tunc primum germinauerit oliuæ arbor; quod iuxta Plinium libro 16. c. 25. fieri solet mense Maio. Sed nec probatur, mensem illum dictum fuisse vndecimum; potius à creatione mundi, quam ab initio diluuij; aut ab Anno sexcentesimo ætatis Noë; nec virentia folia oliuæ soli Maio, sed toti anni tempori conueniunt.

25 Secundò igitur Abulenſis & Lyratus in cap. 1. Genes. putant, mundum conditum initio autumnus, adeoque mense Septembri. Sed nituntur itidem incertis coniecturis, & consequentijs. Vt, quia ante legem per Moysen promulgatam, Hebræi numerarunt initium Anni à Septembri, iuxta Hieronymum in cap. 1. Ezech. quod tamen ob aliam causam facile fieri potuit, ut mox dicitur. Item, quod Exod. 23. eiusdem mensis tempus vocatur. *Exitus Anni*, quod tamen potius ob fructus eo tem-

porè perfectè collectos & reconditos, dictum erat, ut colligitur ex eodem loco, & Exodi 34. Denique quod tunc fructus arborum fuerint maturi; Genes. 1. & 3. cum tamen in omni sententia, hac in re peculiare quid diuina virtute interuenerit; eo quod nunquam naturaliter omnes plantæ & arbores, in eodem terræ climate, simul fructus ferre soleant; quod tamen tunc accidisse ex Genes. 1. versu 11. & capite 2. versu 9. colligitur.

26 Verior igitur, & cæteris anteferenda est communis sententia Patrum, mundum fuisse productum in vere (iuxta Clima terræ Palestinæ) circa æquinoctium vernum, & secundam hodiernam computationem, mense Martio, ut pluribus Pererius Genes. 1. versu 11. & Valentia quæstione 3. punct. 3. Molina disp. 14. Tum quia tunc etiam terra naturaliter germinare solet. Tum quia vix naturalius principium anni constitui potest, quam æquinoctium vernum, saltem in nostro hemisphærio, ob eandem causam. Tum quia eo tempore etiam alia præcipua Dei opera sunt peracta, ut liberatio populi ex Ægypto, Incarnatio, Mors & Resurrectio Christi, &c. Denique valde verisimile est, SS. Patres id per traditionem accepisse; quod ita speciatim tradunt Athanasius q. 17. ad Antioch. Gregorius Nazianzenus orat. de noua dom. Cyrillus Hierosolymitanus catech. 114. Theodoretus quæst. 72. in Exod. Ambrosius lib. 1. Hexaem. capite 4. Leo serm. 9. de pass. Dom. Isidorus libro 5. Etymol. capite 8. Beda libro de rat. temp. capite 40. & consentit Virgilius libro 2. Georg. post. med.

## QVÆSTIO II.

### De opere primæ diei, nimirum celo, terra, luce.

S. Thomas I. p. q. 66. & 67.

**A**bsoluetur hæc quæstio sex dubitationibus. I. An celum & terra primo die; an potius ante primum diem sint creata. II. Quid celi & terra nomine significetur; an non solum celum Empyreum; sed etiam omne corpus celeste, omniaque elementa; adeoque totus mundus corporeus quoad essentiam. III. Qualis lux; & quo spatio primi diei sit producta; an post tenebras; & quis finis & usus eius lucis. IV. Ex qua materia celum constet. V. An celum sit animatum. VI. An sit natura sua corpus generabile & corruptibile.

### DVBIVM I.

#### An celum & terra primo die; an potius ante primum diem sint creata.

S. Thom. I. p. q. 66. aa. 4.

1 **E**Narrationem Creationis Mundi Moyses Genes. primo, versu primo, his verbis orditur. *In principio creauit Deus celum & terram.* Vbi voculam, *In principio*, inter alia significata, propriè significare, in principio temporis, quæstione præcedenti dubio quarto, dictum est. Creationem autem propriè accipi, diximus ibidem dubio primo,

Cæli verò nomen et si latè quandoque omne corpus sublime diaphanum, terræ & aquæ superius significet; ipsumque adeò etiam aërem comprehendat, iuxta Scripturam, quæ & *catarrhas celi*, Genes. capite 7. versu vndecimo, & sæpe alias *volucres*, seu *volatilia celi* nominat, Genes. 1. versu 30. Genes. 9. versu secundo, Psalmo 8. versu 9. Ieremias 7. versu 33.

Matth.

Matth. 6. vers. 26. & cap. 8. vers. 10. &c. in disputatione tamen de celo à Theologis & Philosophis sumitur pressius, pro corpore non subleuari, sed elementis omnibus superiori, quod à concavo luna sursum magnis spatij protenditur; quodque siue à calando, quasi stellis exlatum, siue à celando dicitur, quod totam naturam inferiorem integraliter ambiat, & in se ac sua continentia claudat, ut post Ambrosium in Hexameron notarunt Beda expositor. in Genes. & Sanctus Thomas, seu quisquis est author postillæ in Genesim.

2 Quibus positis, dubium est, quandonam cælum, quod in principio dicitur creatum, fuerit productum; an primum die creationis secundo, quando productum est firmamentum; an vero aliquo instanti, ipsius primi diei, quo creata ibidem lux dicitur; an potius in aliquo instanti antecedente; ita ut tempus aliquod saltem breue, inter instans creationis cæli & terræ, & ipsum initium primi diei intercesserit; cælumque adeo & terra, non in aliquo sex dierum creationis, sed tempore antecedente fuerint producta.

3 Et non desunt graues quidam authores, qui asserunt. Moysen per illa verba, *In principio creauit Deus cælum & terram*, non significasse certum aliquod opus, ante cætera opera productum, sed summam duntaxat eorum omnium, quæ postea sex dierum spatio à Deo facta speciatim narrantur, retulisse. Ita Cyrillus Alexandrinus contra Iulianum lib. 2. Burgenis Add. 1. in Genes. Sreuchus in Cosmopœia. Eandem interpretationem inter alias habent etiam Augustinus lib. 12. Confess. cap. 17. & S. Thomas 1. p. q. 68. a. 3. ex S. Chrysolomo. Ex qua doctrina necessario sequitur, cælum non fuisse opus primæ diei, sed secundæ, quando factum est firmamentum, cui simul etiam cæli nomen impositum.

4 Secundo docent alij, cælum & terram, fuisse creata tempore diem primum antecedente; ita ut inter eorundem creationem, & primi diei initium, aliquod saltem breue tempus intercesserit. Ita præter Augustinum libro 12. Confess. capite octauo, aperte sentiunt Alensis p. 2. quæst. 44. memb. 4. S. Thomas in 2. dist. 12. Aureolus in 2. d. 14. q. 2. art. 2. Tostatus in Genes. Carthusianus ibidem. Perterius ibid. n. 4. Gregorius de Valencia tom. 1. disp. 5. quæst. 3. punct. 1. Ascanius Martinengus Gloss. lit. ad c. 1. Genes. circa verba illa, *In principio*, qui pro eadem sententia adducit omnes SS. Patres & Scriptores, qui tenebras ante lucem constituisse, cum Mose existimant, ut & eos, qui primò compactum chaos volunt, & post sex dies perfectum & venustatum; speciatim Clementem Romanum, Irenæum, Tertullianum, Gregorium Nazianzenum, Nyssenum, Basilium, Ambrosium, Chrysolomum, Theodoretum, Damascenum, Gennadium, Acatium, Diodorum, Strabum, Hugonem, Bedam, Aleuinum, Rabanum, Isidorum, Magistrum, Sanctum Thomam, Bonauenturam, omnesque, ut inquit, Iuniores: imò pagina 81. ait, omnium Græcorum ac etiam Latinorum Patrum esse sententiam, quod à primo momento, quo Deus ex nihilo cælum & terram condidit, ad primæ diei initium, quo lux emanauit, & diei primæ exordium dedit, tempus decurrerit.

5 Argumenta huius sententiæ sunt ista. Primum

sumitur à communi sensu Patrum & Doctorum, ut paulò antea dictum.

Secundum: quia dies prima non coepit ante lucem creatam; cum ipsa lux in primo instanti primi diei creata, ut nonnulli Patres dicunt, initium dederit primo diei; nec verò sine luce dies esse possit; iuxta illud Genes. 1. versu 5. *Appellauitque lucem diem*: & tamen ante lucem creatam constat, tenebras fuisse super faciem abyssi, cælo vtique & terra iam creata, Genes. 1. v. 2.

Tertium. Quia alias prima dies non constaret præcisè viginti quatuor horis, æqualiter in lucis & tenebrarum tempus diuisis, sed pluribus. Nam ut colligitur ex illis verbis Gen. 1. v. 5. *Factumque est vespere & mane dies vnus*, dies primus, ut & ceteri deinceps subsequentes, prius habuerunt vesperum, quam mane, & in ipso mane fuerunt completi: hoc autem fieri non potuit, nisi dies coepit ab oriente luce, quæ paulatim, horis vtique duodecim, ad horizontem accedens, vesperum; & deinde totidem horis alterum terræ hemispherium obiens, mane constituerit.

Quartum. Ante lucem, eiusque motum, non fuit tempus: ergo nec dies. Antecedens probatur; quia non fuit motus, cuius siue mensura, siue duratio est tempus.

6 Tertia sententia est, cælum vnà cum terra fuisse creatum, ipso primo die, seu in instanti inchoante primum diem creationis. Idem sentit aperte Ambrosius lib. 2. Hex. c. 1. vbi ait: *Diem primum, vel potius vnum, ut posuimus, absoluiimus; in quo condidimus cælum, terram creatam, aquarum exundantiam, circumfusum aerem; discretionem factam lucis acque tenebrarum, Dei omnipotentis, & Domini nostri Iesu Christi, & spiritus quoque sancti operatione cognouimus.*

Et Damascenus libro 2. fid. Orth. capite decimo. Terra, inquit; quatuor elementorum vnus est, sicum & frigidum, grauissimum & immobile à DEO ex nihilo ad esse prima die deductum. In principio enim, inquit, fecit Deus cælum & terram, cuius sedem & basin nullus homo dicere valuit.

Item Procopius in Genes. *Primus dies*, inquit, dignitate reliquos sequentes longe antecit. Nam in illo, quæ nunquam fuerant, suam creationem sumpserunt diuinitus. Ceteris diebus nihil effecit, cuius seminaria non in primo die sparsisset.

Item Alcuinus lib. 1. Diuin. Offic. tit. de die sancto siue Dominico: *Apparet autem*, inquit, *hunc diem etiam in sacris Scripturis esse solennem. Ipse est enim dies primus seculi, in quo formata sunt elementa mundi, in ipso creata sunt Angeli, &c.*

Idem tuentur Beda libro de sex dierum creatione, Petrus Comestor Histor. Eccles. capite 3. & Caietanus in Genes. 1. vbi ait: *Illudmet instans, quod fuit principium temporis, mensurans creationem cæli & terræ, fuit instans initiatuum diei primæ artificialis.* Item Molina 1. p. de opere sex dierum disp. 7. §. Hic autem, pro absurdo habet, Deum ante primum, atque adeo ante omnem diem, creasse cælum & terram.

7 Vtramque sententiam posteriorem, velut probabilem referunt Tostatus in Genes. Bonauentura in 2. d. 12. a. 2. q. 1. Egidius 1. p. Hexa. c. 22. Dionysius Carthusianus in Gen. c. 10.

Differunt tamen hi Authores inter se. Nam aliqui dicunt, simul ac in eodem instanti temporis, quod

quod fuit initium primi diei, creatum fuisse non solum coelum & terram, sed etiam ipsam lucem. Ita præter Augustinum, Beda, Comestor, Caietanus: Item Bonaventura & Toftatus pro vna sententia. Alii vero docent, eodem quidem die primo, sed non eodem instanti creatam fuisse lucem.

Assertio I. Illis verbis Moyses, *In principio creavit Deus caelum & terram*, designatur certum & peculiare opus diuinum, ante cætera creationis opera factum; ita vt coelum illud, vna cum terra, creatum sit à Deo, ante opus secundæ diei, ipsumq; diem secundum. Ita communis, & iure dixerim certa sententia omnium cæterorum scriptorum, quos post primam sententiam retulimus. Et colligitur aperte ex contextu Moyses, qui cum dixisset Gen. 1. *In principio creavit Deus caelum & terram*, mox subiungit v. 2. *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebrae erant super faciem abyssi; & Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Vnde manifeste sequitur, terram, de qua prius mentionem fecerat, iam tunc productam fuisse antequam nimirum lux produceretur, ceteraque fierent, quæ postea à Deo facta Moyses narrauit: Alioquin terram dixisset Moyses vacuum, antequam esset producta; nec explicari etiam posset, quanam fuerit illa facies abyssi, aut quanam aqua, super quas Spiritus Dei ferebatur, si non ante lucem, coelum & terra fuissent à Deo creata.

Quam rem acute etiam pluribus expendit Tertullianus lib. 6. cont. Hermogenem cap. 26. *Nobis autem, inquit, vnus Deus, & vna est terra, quam in principio fecit Deus.* Cuius ordinem incipiens scriptura decurrere, primo factam eam edicit; dehinc qualitatem ipsius edisserit: sicut & caelum primo factum professa; in principio profecit Deus caelum: dehinc dispositionem eius superinducit; Et separauit inter aquam, quæ erat infra firmamentum, & quæ super firmamentum; & vocauit Deus firmamentum caelum, ipsum quod in primordio fecerat. Proinde & de homine, Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum; dehinc qualiter fecerit, reddidit, Et finxit Deus hominem de limo terræ; & stauit in faciem eius statum vitæ, & factus est homo in animam vitam. Et utique sic decet narrationem inire; primo præfari, postea prosequi, nominare, deinde describere. Alioquin vanum, seius rei, cuius nullam præmiserat rationem, id est, materia, nec ipsum quidem nomen, subito formam & habitum promulgauit; ante enarrat, qualis esset; ostendit figuram deformari, nomen abscondit. At quanto credibilis, secundum nos, eius rei dispositionem subiunxit, cuius institutionem, simulque nominationem præmisse. Quam denique integer sensus est, In principio fecit Deus caelum & terram; terra autem erat inuisibilis & rudis, quam Deus scilicet fecit, de qua scriptura cum maxime edixerat. Nam & Autem ipsum, velut fibula coniuunctiue particule, ad conexum orationi appositum est. Terra autem. Hoc enim verbo reuertitur ad eam, de qua supra dixerat, & alligat sensum. Adeo aufer hinc, Autem; & soluta compago est, vt tunc possit de alia terra dictum videri, Terra erat inuisibilis & rudis. Hactenus neruose Tertullianus. Vbi simul etiam docet, firmamentum esse ipsum coelum, quod Deus in principio fecerat, vt dicitur dub. sequent. assert. 1. in fine sequentis quæstionis verbatim allegatus. Accedit, quod Chrysostomus & Cyrillus, pro contraria sententia adducti, intelligi forte possunt de

summa, non sequentis narrationis, sed operis; siue de illo imperfecto *chaos*, seu primordiali seminario rerum omnium deinceps faciendarum.

Assertio II. Multo probabilius videretur, coelum & terram eodem primo die, quo lux facta est, adeoque ipso initio, seu primo instanti primi diei fuisse creata. Ita sentio cum Authoribus tertiæ sententiæ. Probatur primo ex Scriptura, quæ id satis aperte indicat. Exodi 11. vers. 20. dicitur: *Sex diebus fecit Dominus caelum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt.* Et Exodi 31. vers. 17. *Sex diebus fecit Dominus caelum & terram, & in septimo ab opere cessauit.* Similia habentur alibi. Si ergo coelum & terra sex dierum aliquo facta sunt, certe non ante primum diem, sed ipso primo die creationis facta sunt. Adducunt etiam Caietanus & Molina illa verba Genes. 2. vers. 4. *Iste sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt, in die, quo fecit Dominus caelum & terram.* Sed quia mox ibidem additur, *Et omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis.* &c. satis constat, diem illic sumi late, pro tempore, vt quæstion. præced. dub. vii. dictum.

Secundo idem probatur autoritate ac testimoniis SS. Patrum; non solum iis, quæ citauimus, sed etiam pluribus aliis, dum mundi opificium vocant *Hexaëmeron*, siue *sex dierum*; vt speciatim videre est apud Basilium, Ambrosium, Gregorium Nyssenum, & alios. Quibus accedit autoritas Ecclesiæ, in officio diei dominicæ antematutinum canentis: *Primo dierum omnium; quo mundus extat conditus.* Atque in eundem sensum optime etiam intelligitur illud Concilii Lateranensis cap. *Firmiter de summa Trinitate & fid. Cathol. DEVM simul in principio temporis (adeoque primi diei) vtramque de nihilo condidisse creaturam, spirituales & corporales, Angelicam & mundanam.* &c.

Tertio probatur ratione. Tum quia alias Moyses in sua narratione Genesis, non satis determinasset certum initium creationis mundi. Si enim caelum & terra creata fuerunt ante primum diem, sane quia Moyses interrim ne verbo quidem insinuet, quanta duratio primum diem antecesserit, existimari posset, quantum est ex ea Moyses narratione, coelum vna cum terra, creatum fuisse, non solum aliquot centuriis seculorum ante primum diem, sed etiam ab æterno; saltem ex eorum sententia, qui existimant, non implicare contradictionem talem mundi creationem ab æterno: verbis interim illis, *In principio*, vt multi interpretantur, significantibus solum, *Ante omnia*, siue *Primum omnium*. Est autem incredibile, Moysen perfectionem & ornatum cæli & terræ tam diligenter ac definite, per sex dies, distinxisse; ipsam vero primam, ac substantialem productionem cæli & terræ nullo certo tempore defuisse. Tum quia contextus ipse Moyses Genes. 1. vers. 1. 2. 3. 4. 5. satis indicat, ea quæ ibidem facta narrantur à Deo, ad vnum & eundem diem spectare. Præsertim cum deinceps etiam sequentibus aliquot diebus plura sæpe, vno die à Deo facta esse referantur.

Ad primum argumentum, pro contraria sententia secunda obiectum, Respondetur, Opposi-

tam sententiam neutquam esse communem, multò minùs omnium sanctorum Patrum est recentiorum, vt dixit Martinengus; quæ potius est paucorum. Licet enim plerique omnes (Augustino, & paucis quibusdam exceptis) docuerint, ante creationem lucis, celo terraque iam creatis, præcessisse tenebras super faciem abyssi, id quod nos etiam conlusionem sequenti docebimus; minime tamen sequitur, cælum & terram fuisse creata ante primum diem, cum hic ipse dies primus à tenebris, non à luce cœperit, vt dicitur ad tertium. Multò minùs repugnant illi, qui docent, chaos, siue ipsum cælum ac terram, rudemue mundi substantiam fuisse primò creatam, & post sex dies perfectam & absolutam: quia hoc verum est, etiam si, ipso primo instanti primæ diei fuerit creatum cælum & terra; instans enim illud, quod antecessit sex dies, nihil admittit durationi sex dierum, ad quos se habet, sicut ad lineam punctum, sine quo manet quantitas, & extensio tota lineæ.

Ad secundum & tertium respondetur, diem primum (naturalem intelligit Moyses,) fuisse viginti quatuor horarum, nec tamen cœpisse à luce, vt quidam dicunt, sed à tenebris, quæ operiebant faciem abyssi: sicut & sequentium dierum initium sumitur, non à mane, seu oriente luce in terra creationis siue Palæstina; sed à vespere, vt Scriptura loquitur, seu ab initio noctis, vt post Magistrum in 2. distinct. 13. lit. D. declarat, & probat Molina disputatione septima, de opere sex dierum, super illa verba, factum est vespere & mane dies vnus. Secundus, inquit, sensus, qui mihi omninò placet, & quem inter alios probat hoc loco Abulensis, est, quod produxerit Deus lucem primi diei, post duodecim horas à creatione mundi, & produxerit eam in puncto Arietis, comparatione Palæstina; ita vt puncto creationis illius, inceperit esse mane in Palæstina; ac si tunc oriretur Sol: eaque ratione primus dies naturalis in Palæstina fuerit viginti quatuor horarum, duodecim tenebrarum seu noctis, à puncto creationis mundi, vsque ad productionem lucis; & aliarum duodecim diei artificialis, à puncto creationis illius, vsque ad occasum eiusdem lucis, comparatione Palæstina. Iuxta hunc ergo sensum, nomine vespere, in prima die, intellexit Moyses tempus illud tenebrarum seu noctis, eo quod nox à vespere seu occasu Solis soleat incipere (licet nox illa non ita inceperit) & terminetur mane, seu ortu Solis: nomine verò Mane intellexit diem artificialem, ab ortu directorum radorum lucis, vsque ad occasum; propterea quod dies artificialis incipiat à mane ortuue Solis, & terminetur vespere, seu occasu Solis.

Iuxta hunc secundum sensum, quem germanum esse Scripturæ arbitramur, verum est, Deum prima die creasse cælum & terram, vt Scriptura aperte sonat; Creauit namque cælum & terram & aquas, in instanti initiatio duodecim horarum noctis seu tenebrarum, quæ lucem antecesserunt, fueruntque prima pars primi diei naturalis. Ex eodem sensu est manifestum, cur in enumerando primo die, & cæteris diebus sequentibus, exordium sumpserit Moyses à vespere, dicens, factum est vespere & mane dies vnus,

secundus, tertius, &c. quia si tempus noctis seu tenebrarum antecessit tempus lucis, fuitque prior pars primi diei, supputatione dierum merito inchoauit à vespere seu nocte. Consentit cum his omnibus mos Hebræorum, quo ab occasu Solis supputabant dies.

Et confirmatur hæc doctrina. Quia vespere & mane, per se sola, non constituunt integrum diem naturalem, de quo sine dubio loquitur Moyses, sed solam noctem, cum adiunctis terminis eam vtrinque concludentibus. Ergo necessariò subintelligendus est dies artificialis, qui rectius per mane, quam per vespere, sicut etiam nox rectius per vespere, quam per mane significatur. Quod autem Scriptura dicit lucem vocatam fuisse diem, quasi producta primùm luce, dies cœperit, intelligendum est de die artificiali, non naturali, de quo loquitur Moyses, cum ait, factum est vespere & mane dies vnus.

Atque hæc de creatione lucis, suo motu diem noctemque distinguens, sententia, multò videtur probabilior, ac Scripturæ conformior, quam illa Iunilij seu Bedæ, asserentis, primo die creatam fuisse lucem, generaliter omnia replentem, ac capite carentem, nullasque distinguens horas. Ita enim loquitur apud Lipomanum in catena Genesis capite sexto. Quia nimirum priusquam sidera fierent, non erat, quibus ordo temporum annotaretur indicis; unde meridiana hora dignoscereur, antequam Sol medium conscenderet igneus orbem; non unde cætera diei noctisque signarentur hora; donec æstra polum æquali inter se sorte nocte dieque dividerent; sunt ergo luminaria in signa temporum; non quod à conditione eorum tempora cœperint, quæ constat capisse à principio, quæ fecit DEUS cælum & terram; sed quia per oris eorum siue transitus, temporum ordo dierumque annorumque signatur. Nam totum illud triduum superius in discreto cursu sui processu transferat; nullam penitus dimensionem habens horarum; vtpote quia lumine primario adhuc generaliter omnia replente, nullumque caput habente, quod nunc de sole accipit, nusquam radij ardentiores illuxerant: & nulla sub caute vel arbore, aquis remouit umbra frigeat. Ita qui sub Iunilij nomine citari solet Bedæ; ex cuius sententia explicari vix potest, qualem fuerit mane illud & vespere, primi, secundi, & tertij diei; qualis item fuerit dies & nox post lucem iam productam. Genesis capite primo versu quinto.

Ad quartum respondetur, tempus fuisse ante lucem, motumque lucis, non quod cælum statim ac creatum esset, moueri cœperit, vt quidam dixerunt; sed quia tempus est duratio siue mensura, non solum motus, sed etiam quietis opposita. Contrariorum enim eadem est ratio, vt rectè etiam Molina loco citato, & superius quæstione prima dubio quarto.

Assertio III. Cælum vnà cum terra, non fuit creatum, eodem instanti, quo creata lux fuit, sed tempore antecedente; ita vt per aliquod tempus, à prima creatione, cælum & terra luce carerent, tenebris vndiq; cooperta. Ita comunis

sententia Sanctorum Patrum, & Doctorum ferè omnium, speciatim Clementis lib. 1. Recog. Basilij Hex. hom. 3. Ambrosij lib. 1. c. 1. Chrysostomi in Genes. Hom. 3. Hieronymi epist. 83. ad Ocean. Tertulliani in carmine Genes. Marij Victorinilib. 1. in Genes. Sancti Thomæ in 2. dist. 12. Molinæ & Martinengi loco citato contra paucos superiùs citatos. Probatu apertè ex Scriptura Genes. 1. v. 2. ubi post creationem cæli & terræ dicitur, *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.* Quod ad metaphoricæ tenebras, Angeli scilicet mali cælum, aut instans solum naturæ, quo nondum cogitetur terra fuisse illuminata, referri nullo modo potest. Sunt enim verba nimis clara, & verbum illud imperfectum *Erant* etiam durationem aliquantam tenebrarum significat. Similis est locus 2. Corinth. versu sexto. *Deus, qui dixit, de tenebris lucem splendescere:* qui ad literam planè de creatione primæ lucis intelligitur: nec faciliè etiam potest ad tenebras spirituales, vel ad solam negationem luminis, creationem cæli antecedentem, referri. Licet verò contrariam sententiam erroris damnare non ausim, propter graues, qui eam sequuntur authores, superiùs citatos, non vereor tamen falsam planè & improbabilem dicere, ut pote satis apertè Scripturæ & communi Sanctorum Patrum doctrinæ repugnantem, nullo sanè firmo solidoque fundamento. Plura de hac die & luce apud Molinam disputatione 8.

#### DVBIVM II.

*Quid cæli & terra nomine significetur; an non solum cælum Empyreum, sed etiam omne corpus celeste, omniaque elementa, adeoque totus mundus corporeus, quoad suam substantiam.*

S. Thomas 1. p. q. 66. a. 1. & 3.

Quod ad primum attinet, dubium est, an omnes cæli, quoad substantiam simul, & quidem primo die creationis, ut dictum; an verò aliqui primum secundo die fuerint producti. De qua re varia rursus Doctorum sententia est. Siquidem sentiunt non pauci, primo die, seu ante primum diem, iuxta varietatem sententiarum dubio præcedente declaratam, creatum fuisse solummodò cælum Empyreum; reliquos autem cælos inferiores omnes, etiam quoad substantiam, non propriè creatos, sed ex præsupposita materia productos fuisse die secundo. Ita docent Strabus in Glossa. Hugo Victorinus in Sententijs tract. 2. cap. 1. Bonaventura in 2. dist. 12. Lyranus in Postilla, Tolstus in Genes. cap. 1. Catharinus ibidem: qui omnes disertè nomen cæli Empyrei exprimunt. Idem sentiunt Origenes in Genes. Homil. 1. Diodorus Tarsensis in Glossa ordinaria, Iunilius in Hexæmeron, Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Autolyicum, Hilarius enarratione in Psalmum 135. Procopius in Gen. Anselmus l. 1. de

immagine mundi cap. 28. & ferè Philo de mundi opificio; licet nomen Empyrei cæli non exprimant, sed duntaxat de supremo cælo, quod sedem esse beatorum significant, loquantur. Idem ex instituto propugnat Molina de opere sex dierum disp. 2. & 3. & Delrius in Genes. v. 1. fauetque nonnihil Ascenius Martinengus in sua Glossa. Sed & Aureolus in 2. d. 14. q. 2. a. 2. concedit quidem, cælum Empyreum, ut & primum mobile, siue cælum nonum & crystallinum, vnâ cum quatuor elementis producta fuisse, in principio, primo die, seu ut ipse putat, ante primum diem; attamen firmamentum, seu cælum sydereum productum fuisse docet primum die secundo.

Fundamentum potissimum sumitur ex Scriptura Genes. 1. versu 6. & 8. *Dixit quoque Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento ab his, quæ erant super firmamentum. Et factum est vespere & mane dies secundus.* Cum igitur hoc loco expressè firmamentum appelletur *cælum*, idque secundo primum die, non creatum, sed factum dicatur, uti & cetera, quæ ex subiecta materia facta postmodum narrantur, perspicuè colligi videtur, cælum non omne quidem, sed aliquod tamen secundo primum die, etiam quoad substantiam, factum fuisse: quod utique non de supremo ac præstantissimo cælo iam antea primo die creato, sed de toto systemate celesti inferiori, saltè sydereo accipiendum est. Quod si cælum eo die factum non est, vix apparet, quid secundo die à Deo factum fuerit. Nihilominus alij plures contrariù sentiunt, ut dicitur.

Similis controversia est de duobus elementis, nimirum aère & igne; an simul cum terra & aqua ex nihilo primo statim die fuerint creata.

Assertio I. Non solum Empyreum, sed etiam sydereum cælum, atque adeò corpus omne celeste, quoad substantiam, productum fuit primo die. Ita expressè docent Tertullianus lib. contra Hermog. cap. 26. relatus dub. præcedenti, assert. 1. item Basilios homil. 1. & 2. Hexæm. Ambrosius lib. 1. c. 6. & lib. 2. cap. 4. Damascenus lib. 2. Fid. orth. c. 5. 6. & 10. Innocentius III. commentar. in 5. Psalmum pœnitentialem, S. Thomas in 2. d. 13. & 1. p. q. 68. ad primum, expositione vltima, & in Postilla Genes. (si tamen eius hoc opus) cap. 1. Dionysius Carthusianus in 2. d. 13. q. 1. Lyranus in Postilla expositione 1. Caiet. in Genes. c. 1. Steuchus in Cosmopœcia, Vielminus lectio 3. in Genes. Pererius in Genes. lib. 1. in illa verba *cælum & terram*, Gregorius de Valentia 1. p. d. 5. q. 2. punct. 1. Optimè & apertissimè ex antiquioribus Gregorius Nyssenus in Hexæm. *Posteaquam igitur, inquit, quæ cernuntur aquæ, ab illis quæ intelliguntur, secreta sunt, mediisque inter duplicem aquarum naturam confinium interiectum est cælum, quod simul cum terra, atque omnibus ijs, quæ ad mundi constitutionem collata sunt, in principio factum esse dicitur; nunc autem perfectum & nominatum, in demonstratione firmamenti ignis ambitu definiti ostenditur, &c.* Nec refert, quod Basilios homil. 3. Hexæm. & Ambrosius libro 1. capite 6. firmamentum secundo die creatum, à cælo in principio creato, & ab utroque cælum tertium, in quod raptus est S. Paulus, distinguunt. Intelligunt enim distinguui non substantialiter adæquatè: sed vel

accidentaliter tantum: vel substantialiter inad-  
quæte, velut partem à toto, nimirum quia secundo  
die firmamentum ex subtili materia cæli in princi-  
pio creati consolidatione quadam & condensatione  
productum fuit. Interim cum cælo & terrâ, omnia  
intermedia elementa fuisse in principio quoad sub-  
stantiam creata, apertè asserunt, vt dictum. Vnde  
etiam idem Basilius in alio opere Hexaemeron ab  
Eustatio latinè reddito, ac recens edito lib. 2. ita  
scribit. *Fecit Deus cælum & terram, non singula ex di-  
midia parte, sed integrum cælum, & integram terram, id  
est, ipsam substantiam, cum specie comprehensam.*

4 Et Ambrosius libro 2. Hexaem. cap. 4. *Videtur  
mihi, inquit, nomen calorum commune esse, quia pluri-  
mos calos Scriptura testificatur; nomen autem esse speciale  
firmamentum. Siquidem & hic ita habetur. Et voca-  
uit Deus firmamentum cælum: vt videatur supra gene-  
raliter dixisse, In principio cælum factum, vt omnem cæ-  
lestis creaturæ fabricam comprehenderet: hic autem spe-  
ciale firmamenti huius exterioris soliditatem, &c.*

5 Probatum autem conclusio nostra, maximè ex  
Scriptura. Tum quia Moyses Genes. 1. versu, in-  
definitè dixit, *In principio Deum fecisse cælum*, seu vt  
in Hebraico textu significantius habetur *calos*. Inde-  
finitæ autem eiusmodi propositiones in dogmati-  
bus tradendis, vim habere solent affirmationis vni-  
uersalis, sicubi nulla specialis suppetit restringendi  
ratio. Tum quia in eodem loco paulo inferius Ge-  
nes. 1. versu octauo, vbi de firmamento fit mentio,  
significatus voculæ *Cæli* disertè explicatur; neque  
tamen eo loco pro solo cælo Empyreo accipitur;  
& valde durum esset, in tam paucis verbis, præser-  
tim vbi ipsa nominis significatio ex instituto expli-  
catur, tam obsecuram æquiuocationem fuisse com-  
missam. Tum quia nusquam aliàs in Scriptura, vbi  
cælum terræ coniungitur, saltem quando de eorum  
productione sermo est, cæli nomine solum cælum,  
Empyreum significatur; sed vniuersim tota cæle-  
stis substantia, vt videre est Genesis 14. versu 19. &  
22. Exodi 20. versu 11. Exodi 31. versu 17. Deu-  
teronomij 31. v. 28. 1. Paralip. 21. versu 16. 2. Pa-  
ralip. 24. v. 12. 2. Esdræ 9. v. 6. Iudith 6. versu 15.  
& cap. 7. v. 17. & cap. 13. v. 24. Esther 13. versu 10.  
Psalmo 113. v. 5. &c.

6 In quo genere vel maximè insignis est locus Ge-  
nesis 2. versu 1. vbi Moyses quasi per anacephalæ o-  
sin repetens ea, quæ præcedenti capite narrauerat,  
ait; *Igitur perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus  
eorum.* Et versu quarto. *Ista sunt generationes cæli  
& terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus  
cælum & terram.* Vbi nemo vtique dixerit, nomi-  
ne *cæli* solum cælum Empyreum significari. Opti-  
mè in hunc locum Chrylostomus homil. 10. in Ge-  
nesi. *Confidera, inquit, quàm nihil sit superfluum, ni-  
hilque non amabile in diuinis literis. Postquam elemen-  
torum cuncta complectentium meminit, non ultra parti-  
cularim commemorat; sed vt dixit: Perfecta sunt cælum  
& terra, inquit, & omnis ornatus eorum. Quo  
significat omnia & quæ in cælo, & quæ in terrâ. Or-  
natus enim terræ, sunt ea, quæ ab illa proferuntur,  
vt herbarum germina, fructuum proventus, arborum  
fructus, aliæque omnia, quibus illam Deus ornauit:  
ornatus autem cæli, sol, luna, stellarum varietas, cre-*

*aturæque omnes intermedia. Et idcirco sacra Scriptu-  
ra, cælum terræque commemorans, omne Dei opificium  
per hæc elementa complexa est.*

7 Sed in ipso etiam Symbolo Apostolorum profi-  
temur Deum Creatorem cæli & terræ, phrasi ex 1. Ge-  
nes. versu 1. expressa; vtique non Empyrei tantum,  
sed vniuersim omnis cæli; cum ipsa quodammodo  
res exigit, vt quando profitemur in symbolo factam  
à Deo creationem cæli & terræ, ijs nominibus totius  
mundi substantia intelligatur.

8 Accedit, quod cæli Empyrei rudis populus Iu-  
dæorum, cui eam creationis historiam potissimum  
scripsit Moyses ( vt rectè Sanctus Thomas 1. part.  
quæstione 68. articulo tertio. ) vix vllam habuit  
notitiam. Imò idem Sanctus Thomas 1. p. quæst.  
66. articulo tertio, ait: *Cælum Empyreum non inue-  
nitur positum, nisi per auctoritates Strabi & Bedæ,  
& iterum, per auctoritatem Basili; in cuius positione  
quantum ad aliquid conueniunt; scilicet quantum ad  
hoc, quod sit locus Beatorum.* Ita Sanctus Thomas  
tameñ Dionysius Carthusianus in 2. distinct. 2.  
quæstione tertia, non ab illis tantum, sed etiam à  
Damasceno, Gregorio, & Hieronymo cælum illud  
fuisse agnitum velit: sed qui certè sub eo nomine  
cæli mentionem non faciunt: multò minus credi-  
bile est, hoc cælum etiam à gentibus fuisse agnitum.  
Vide Pererium libro primo in Genesis. Qua de  
causa in eam potius adducor sententiam, vt rectius  
vniuersim negari posse existimem, Moysen in  
sua descriptione operum diuinorum, vllam cæli  
Empyrei expressam & distinctam fecisse mentio-  
nem ( quod etiam non pauci de Angelis sentiunt,  
& in eundem sensum Sanctus Thomas 1. p. quæ-  
stione 68. art. 3. ait, *Moyses imbecillitati rudis populi  
condescendentem, illa solum eis proposuisse, quæ manifestè  
sensui apparent.* ) quam solum cælum Empyreum in  
principio à Deo creatum commemoralle.

9 Ratio etiam quædam congruentiæ pro eadem  
conclusionem est; quia cum cælum etiam sydere-  
um sit corpus simplex; & quidem longè præstan-  
tioris naturæ, quàm terra & aqua, quæ in principio  
creata à Moysè referuntur, non conueniebat, illud  
post terram & aquam, aut ex aqua produci.

10 Ad contrarium fundamentum facile responde-  
tur, quando Genes. 1. v. 6 & 8. dicitur *Firmamen-  
tum* cæli nomine appellatum, idque secundo die fa-  
ctum fuisse, id non ita intelligendum, quasi cælum  
illud etiam quoad substantiam & essentiam suam, se-  
cundo primum die factum fuerit, sed solum, quod  
tunc primum addita duritie & firmitate, firmamenti  
nomen & robur acceperit, vt quæst. 3. dub. 1. & 2.  
magis declarabitur; sicut Deus dicitur *producere vites  
de thesauro suo*, itemque Philosophi aiunt, niuè, gran-  
dineam, pruinaem, gelu, seu glaciem produci; cum ta-  
men eorundem materia & forma substantialis iam  
antè præexistat; nec ferè nisi durities & soliditas  
præexistenti materiæ addatur.

11 Neque verò ex eo, quod cælum vñà cum terra ab  
initio productum dicitur, consequens est, per cælum  
secundo postea die productum, ( cui & firma-  
menti nomen impositum ) aliud cælum substantia-  
liter diuersim intelligendum esse; quasi verò res va-  
na & eadem non possit bis produci; neque semel pro-  
ducta ac certo nomine significata, denuò eodem  
nomine.

nomine insigniri. Nam præterquam quod eadem res, quoad substantiam semel producta, rectè potest iterum sub aliâ ratione mixtæ imperfecti, seu entis per accidens, denuò produci, ut antea dictum: insuper etiam terra in principio producta dicitur v. 1. & tamen nihilominus postea v. 10. rursum dicitur, tunc, cum aquæ in vnum collectæ fuissent, tertio videlicet creationis die, ipsam aridam terræ nomine fuisse vocatam: *Et vocavit Deus aridam terram.* Quo nomine utique substantialiter eadem terra significatur, quæ initio producta, sed aquis nudata, nihilominus terræ nomine insignita refertur. Idem ergo etiam servatâ proportione cogitandum de cælo, ut pluribus dicitur quæst. 3. dub. 1.

12 Assertio II. Non solum cælum omne quoad substantiam, simul cum terrâ, sed etiam Elementa omnia, quæ cælo terræque clauduntur, etsi rudia adhuc, & nullo ornatu decorata, simul, & ab initio, antea ceterarum rerum productionem, à Deo ex nihilo fuerunt creata; ac postea sex dierum spatio singularim & ordine elaborata: ita nimirum, ut iuxta descriptionem Genesis, primo insuper die lux; secundo soliditas ac firmitas cælesti substantiæ; tertio siccitas, virorque ac fecunditas terræ; quarto sydera ac stellæ cælis, quinto omnis generis animantia, aquis ac aëri, velut ornatus nouaque perfectio accellerint; sexto demum die ceteræ terræ animantes, ac homo ipse in terris, vniuersaque hæc ex elementis iam antea creatis condita fuerint.

13 Hæc conclusio confirmat præcedentem, ac præterquam quod optimis authoribus probata est, ut dicitur, probatur primò ex ipsâ Scriptura sacra Genes. 2. v. 1. ubi dicitur, *Igitur perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum.* Quo loco nomine cæli & terræ utique intelligitur idiplum cælum & terram, quæ Genes. 1. v. 1. in principio, & ante res alias creata dicuntur: cetera verò omnia, quæ post cælum & terram iam antea producta, successiue per sex dies facta narrantur, intelliguntur nomine ornatus, seu accidentalis cuiusdam perfectionis eiusdem cæli & terræ; ergo non est existimandum, cælos quoad substantiam, aut elementa, secundo, aut posterioribus primùm diebus fuisse producta; sed tam cælum, quàm terram, vnâ cum ceteris elementis quoad substantiam, in principio & ante omnia alia creata; postea solum perfectione quadam accidentali, & ornatu exculta & decorata fuerint. Nec verò id de aquis negari potest, cum mox post creatum cælum & terram Genes. 1. versu 2. dicatur: *Spiritus autem DEI ferebatur super aquas.*

14 Secundo probatur assertio autoritate Scripturæ, qui eam docuerunt. Siquidem elementa omnia, primo die, vnâ cum cælo & terra fuisse producta, docent ex Patribus præcedente conclusione citatis, Basilius, Ambrosius, Gregorius Nyssenus, Damascenus, Beda in Hexaem. item Innocentius, Lipomanus, Caietanus, Steuchus, Gregorius de Valentia, Pererius, & quos præcedenti quæstione pro tertia sententia citauimus, Ambrosius libro 2. Hex. c. 1. Procopius, Alcuinus, ipsiusque Ecclesiæ publicus hymnus, *Primo dierum omnium, quo mundus exiit conditus,* ut ibidem pro secunda conclusione diximus. Idem tradit Sanctus Thomas 1. p. q. 68. art. 3. & sequuntur ferè alij Scholastici. Speciatim

Suarez 3. p. tom. 2. disputatione 58. sect. 2. ubi ait: *Cum dicitur in principio fecisse Deus cælum & terram: hoc de cælo solo Empyreo exponere, & æthereos calos ac stellas, ex aqua tanquæ ex materia putare procreata, nec philosophicis principis consentaneum est, nec in Theologia habet aliquod fundamentum.*

Id verò ab iisdem Patribus ita explicatur; siue quod sub duobus extremis corporibus, cælo terræque, etiam intermedia omnia elementa comprehenduntur: siue quòd nomine cæli etiam ignis & aër, uti & nomine terræ, eidem insidens aquæ elementum, velut contentum nomine continentis significetur; siue quòd terræ nomine, quæ omnia solet elementa continere, etiam reliqua intelligantur: siue etiam quòd aquarum nomine eo loco Genesis capite primo versu secundo, rectè intelligi generatim potest omne corpus diaphanum, præsertim liquidum; non solum quia omne eiusmodi corpus, Spiritus Dei eidem quasi fouendo incumbens, ad noua quædam opera deinceps efficienda destinauerat; sed etiam quia ratio ipsa quodam modo cogit, per aquas ibidem aliquid intellexisse Moysen, quod iam antea factum narrauerat. Cum ergo Moyses nomine cæli & terræ subintellexerit, etiam simul productam fuisse aquam, licet hoc non expresserit, cur non pari iure & ratione, iisdem etiam nominibus à Moysè subintellecta fuisse dicamus, cetera elementa, licet ea Moyses itidem non expresserit; fortè quia ut Sanctus Thomas loco citato ait, rudi populo ea solum voluit exprimitere, *quæ manifestè sensui apparent; aerem verò, inquit ibidem ad 3. & similia corpora, propter inuisibilitatem, sub aqua nomine comprehendit.*

De hac re optimè inter alios Augustinus libro de Genes. ad litteram capite quarto. *Nec ullo modo arbitrandum est, præmissum esse in hac Scriptura vllum mundi huius elementum, cum quatuor nominibus consistere eum persuasum sit, quia videtur hic cælum, & aquam, & terram commemorare, de aere autem tacere. Consuetudo quippe nostrarum scripturarum est, aut cæli & terræ nomine mundum appellare, aut interdum addere & mare. Aer itaque etiam ad cælum pertinere intelligitur, si quæ sunt in eius partibus tranquillissima & pacatissima spacia; vel ad terram, propter hunc turbulentum & caliginosum locum, qui humida exhalatione pinguescit, quamuis & ipse sæpius cæli nomine nuncupetur.*

Præclare etiam Sanctus Basilius homil. 1. Hex. in hæc ipsa verba, *In principio creauit DEVS cælum & terram: Ex duobus, inquit, principis vniuersi sanè totius inuicit essentiam; cælo quidem prærogatiuam in generatione dignitatis, terræ autem ad rerum essentiam secundas adscribens. Quicquid autem istorum medium est, id vnâ cum ipsis omnino finibus (seu extremis) exortum est. Itaque etiamsi nihil de ceteris dixerit elementis, igne, inquam, atque aere, tuopte tamen solerti ingenio capere velis. Primum quidem quoniam in omnibus omnia sunt permixta: atque adeo in terra aquam, aerem & ignem inuenies: siquidem tam è silice, quàm è ferro, quæ suam originem è terra trahunt, ignis exiit, ac frictionibus copiosus emergens elucet, &c. Deinde quoniam cælum natura locum superum occupat, terra verò inferum, &c. is & ea comprehensim notauit, quæ mediam inter*



minis noctem; iterata vero emissione radiorum seu luminis diem fuisse productam, non sine continuo miraculo: quod proinde infra quæstiuncula 5. reiciitur. Fuit ergo lux illa non æqualiter per totum cœlestis corpus diffusa: sed particulari aliquo spatio cœlestis corporis definita; cuius successiva promotione, dies & nox distingueretur, ipsorumque naturalium dierum spatia distinguerentur; donec creato sole, perfectior distinguendi ratio succederet, ut inferius loc. cit. dicitur. Quod vero ad quantitatem intensivam attinet, probabiliter credo, eam lucem initio non fuisse tam intensam ac perspicuam, quam in sole postea die quarto enituit: quod expressè docuit Pererius mox citandus, & consentaneum est S. Thomæ. Ratio conuenientiæ patebit ex quæstione sequente.

5 Quæritur tertio, qualis secundum propriam rationem & substantiam ea lux fuerit. In qua re maior est sententiarum varietas: quam ita breuiter simul referat ac recenset idem S. Thomas cit. q. 67. a. 4. ad 2. [Quidam, inquit, dicunt, lucem illam fuisse quandam nubem lucidam, quæ postmodum factò sole, in materiam præiacentem rediit. Sed istud non est conueniens. Quia scriptura in principio Genes. commemorat institutionem naturæ, quæ postmodum perseuerat. Vnde non debet dici, quod tunc aliquid factum fuerit, quod postmodum esse deserit. Et ideo alii dicunt, quod illa nubes lucida adhuc remanet, & est coniuncta soli, ut ab eo discerni non possit. Sed secundum hoc illa nubes superflua remaneret: nihil autem est vanum in operibus Dei. Et ideo alii dicunt, quod ex illa nube formatum est corpus solis. Sed hoc et dici non potest, si ponatur corpus solis non esse de natura quatuor elementorū, sed esse incorruptibile per naturā. Quia secundum hoc materia eius non potest esse sub alia forma. Et ideo est dicendum, quod ut Dionysius c. 4. de diuin. nom. quod illa lux fuit lux solis, sed adhuc informis, quantum ad hoc, quod iam erat substantia solis, & habebat virtutē illuminatiuam in comuni; sed postmodū data est ei specialis & determinata virtus, ad particulares effectus. Et secundū hoc in productione huius lucis, distincta est lux à tenebris, quantum ad tria. Primo quidē quantum ad causā, secundū quod in substantia solis erat causa luminis; in opacitate autē terræ, causa tenebrarū. Secundo quantum ad locū, quia in vno hemisphærio erat lumen, in alio tenebræ. Tertio quantum ad tempus; quia in eodē hemisphærio, secundum vnam partem temporis erat lumen, secundum aliam tenebræ. Et hoc est, quod dicitur, Lumen vocauit diem, & tenebras noctem.] Ita S. Thomas, qui eandem repetit sententiā q. 70. a. 1. & sequuntur Dionysius Carthusianus in c. 1. Gen. a. 9. Pererius lib. 1. in Genes. vers. 3. & Gregorius de Valentia hic disp. 5. q. 3. p. un. 1.

6 Sed nec ista sententiā caret difficultate. Primo. Quia vix explicari potest, quam ratione hæc lux initio informis, postea primum quarto die fuerit formata magis, & perfecta; nec id satis explicat S. Thomas. Pererius autem & Gregorius de Valentia eam perfectionem in hoc potissimum constituunt, quod tunc primum (quarto die) proprio motu, per quem quatuor anni tempora distinguantur, moueri cœperit ab occasu in ortum; eum ante dies inter se plane æquales confecerit. Sed cum hoc nihil plane ad-

dat intrinsecæ perfectionis ipsi luci, non est ratio, cur ea lux prius dicta sit informis. Vnde Pererius: *Addi, inquit, posset, quarto die accessisse soli, eam quam postea habuit magnitudinem, figuram & pulsitudinem, non enim primo die globus vsquequaque accensus est, sed aliquatenus tantum. &c.* Sed hoc iuxta S. Thomam quæst. 67. articulo tertio, vbi lucem statuit ex forma substantiali solis emanare, absque substantiali mutatione solis fieri non poterat; quam tamen S. Thomas in sole respicit, ut vidimus. Deinde, Si sol, seu solis corpus quoad substantiam iam primo die creatum erat, Ergo vel luminare maius, de quo mentio est Genes. 1. vers. 16. non est ipse sol, seu corpus solis; vel certe id non fuit quarto primum die productum; quorum vtrumque est absurdum & contra literam Moysis, ac communem omnium interpretationem; quicquid Catharinus male posterius admittat.

7 Ob quam potissimum causam, ommissis variis aliorum sententiis, quas refert Pererius loc. cit. ea mihi magis probatur sententiā, lucem illam primigeniā, non fuisse certam aliquam substantiam lucidam, sed solum accidens lucis, siue luminis, nulli subiecto certo constanter inherēs, sed à solo Deo in cœlesti corpore adhuc liquido, ut dicitur, seu in cœlestibus aquis, secundum lineam verticalē ita successiue productam, ut sensim in alia & alia eiusdē corporis parte perinde produceretur, ac si vnum & idem corpus lucidum motu suo, ab occasu in ortum, naturalem diem ac continuam lucis ac tenebrarum successiōnem efficeret. Hanc existimo fuisse sententiā Basilii homil. 6. in Genes. si verba eius bene expandantur, ut recte intellexit Molina, & fere Pererius infra, etsi plerique ibi eum explicent, quasi senserit, illam lucem perpetuo miraculo, absque omni subiecto constituisse. Eandem sententiā indicant Gregorius Nazianzenus orat. in nouam Dominicam, Theodoretus q. 14. & 16. Athanasius q. 74. Anastasius Antiochenus in Hexaem. lib. 4. Procopius hic, & Damascenus l. 2. fid. c. 7. item Didymus & Apollinaris in Catena; qui dum dicunt, hanc lucem quarto die indicā luminariibus cœli, non de luce eadem plane singulari ac indiuidua, sed de eadem, per continuam quandam successiōnem, (sicut eadem fluminis aqua dicitur) accipiendi videntur: nisi forte lucem aliquā aut sine subiecto existere, aut ab vno in aliud naturaliter migrare existimauerint, in qua re non sunt sequendi. Nec vero absurdū est, ut accidens aliquod & mera qualitas, primo die à Deo producta, mox postea, secundum indiuiduam rationem, deserit & evanuerit: præsertim si dicatur, lucem ibidem (vbi & alias sæpe) pro lumine accipi, ut inferius dicitur.

8 Eandem sententiā ex instituto probat & defendit Molina de oper. sex dier. disp. 7. & probabilem existimat Delrius in cap. 1. Genes. num. 22. vbi etiam notat, posse in eundem forte sensum non incommode intelligi Dionysium cit. cap. 4. à S. Thoma in aliam sententiā citatum; cum Maximus in Scholiis, ex mente Dionysii dicat, non ipsum solē, seu corpus solis, primo die creatum, sed *ὅτι τὸ πρωτότατον φῶς τῆς πλάτης ἡμέρας μεταχρηματίσθη εἰς ἥλιον*, hoc est, quod lumen primo creatum in solem fuerit transformatum. Vt sim ambiguus, inquit Delrius, vtrum S. Dionysius id senserit, quod sensisse Scholastici latini eū

opinantur; an vero tantum, hoc lumen id ipsum esse (modo superius explicato) quo postea sol illuxit, quemadmodum S. Nazianzenus, & ceteri illi Patres censuerunt, à voce etiam *luminaris* argumentum ducentes, quod *φωσγεν* vocant.

9 Et probatur hæc sententia primo; quia consonat magis scripturæ sacræ. Neque enim, vt bene argumentatur Molina loc. cit. dixit Deus, *Fiat lumen*; sed, *Fiat lux, & facta est lux*. Quando vero quarta die fecit luminaria, dixit, *Fiant luminaria in firmamento caeli, & diuidant diem ac noctem*. Et infra v. 16, *Fecit Deus duo luminaria magna, & c. & stellæ, & posuit eas in firmamento caeli, vt lucerent super terram, & præfessent diei ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras*. Vbi Deus, cum quarta die facta iam essent luminaria, à quibus immediate lux procedebat, ipsismet luminariis tribuit, diuidere diem ac noctem, & lucem ac tenebras: prima autem die sibi ipsi attribuit, diuidere lucem ac tenebras; eo quod immediate ab ipso lumen prodiret. Accedit, quod in versione LXX. eo loco Genes. v. 3. vbi de luce prima dici agitur, legitur *φωσ*, quod proprie nec luminare, nec lucem, primigeniam subiecti lucidi, quasi fontem luminis, sed lumen significat; sicut etiam promiscue in scriptura lumen & lucem pro eodem vsurpari, notauit Delrius loc. cit. Præterea hæc sententia nullas, vt alia, aut certe minores patitur difficultates, vt ex dictis colligitur. Denique si in re arcana coniecturam facere licet, forte præuia hac in archetypo seu magno mundo imperfectæ cuiusdam lucis formatione, significare voluit Deus, in antitypo mundo, imperfectum & mutabilem ac defectibilem statum gratiæ, quacum primus homo, veluti paruus mundus, postea fuit creatus; atque ipsi etiam Angeli initio erant producti: donec postea statu beatitudinis adepti, plena & constanti luce, vtrique quasi iam ipsius solis æmuli collustrarentur.

10 Queritur quarto; quare lux, ante reliqua opera dierum sequentium fuerit producta; ita vt quasi primum esset opus formationis seu distinctionis mundi. Ad hoc bene respondet S. Thomas cit. q. 67. a. 4. *Necessarium fuit, vt in formitas tenebrarum primo remoueretur, per lucis productionem, propter duo. Primo quia lux est qualitas primi corporis. Vnde secundum eam primo fuit mundus formandus. Secundo propter communiter lucis. Communicant enim in ea inferiora corpora cum superioribus. Sicut autem in cognitione proceditur à communioribus, ita etiam in operatione. Nam primum generatur viuum, quam animal, & animal quam homo, vt dicitur in lib. 2. de generat. animal. cap. 3. Sic ergo oportuit, ordinem diuine sapientiæ manifestari, vt prima inter opera distinctionis, produceretur lux, tanquam prima corporis (coelestis) forma, & tanquam communior. Basilus tamen homil. 3. Hexætem, posuit tertiam rationem; quia per lucem omnia alia manifestantur. Potest & quarta ratio addi, quia dies non potest esse sine luce. Vnde oportuit in prima die fieri lucem. Ita S. Thomas. Adde denique, lucem fuisse figuram quandam, vt dictum est, gratiæ hominibus vel Angelis communicatæ; quæ in illis est quasi fundamentum omnis reliqui ornatus supernaturalis, ex variis virtutum bonorumque actuum operibus ac fructibus existentis. Quæ etiam causa fuit, cur initio fuerit lux imperfectior, vt dictum.*

11 Queritur quinto, quomodo tunc lux illa effecerit diem ac noctem, Respondeo ex dictis, nõ fecisse hoc, quasi ipsa in se, pro Dei arbitratu, nunc quidem sui splendorem effuderit, alias vero contraxerit, vt significat Basilus homil. 2. in Hexætem. & Damascenus lib. 2. cap. 7. quod merito resutant Augustinus lib. 1. super Gen. cap. 1. & 16. & S. Thomas hic q. 67. a. 4. ad 3. Nec quod ipsa in se, ac secundum rationem indiuiduam, vere fuerit ab Oriente in Occidentem, mota, donec continuo motu spatio viginti quatuor horarum, suum cursum absolueret, & ad idem punctum rediret, vt S. Thomas loc. cit. Gregorius de Valentia, Pererius, & alii, idque iuxta suam sententiam necessario ac conuenienter docent: sed quod effectiue à Deo, & continua quadà successione, in celesti corpore adhuc liquido, ita fuerit propagata, semper interim simul partem priorem deferendo, perinde ac si eiusdem magnitudinis lucidum corpus vero motu locali totum caeli ambitum, vt antea dictum, peragraffet. Id quod ex dictis, & expositione nostræ sententiæ, circa quæstionem secundam, sequitur, & facile cuius peripicuum est. Plura de hac luce videri possunt apud citatos. Nec enim in eo nobis immorandum est, vt explicemus & defendamus, lucem non esse corpus; nec formam substantialem corporis, sed accidens; quod à S. Thoma hic cit. q. 67. a. 2. & 3. contra nonnullos docetur, cum id ex Philosophia sic competum. An vero tanquam proprietates quædam, ex ipsa forma substantiali solis, seu corporis lucidi oriatur, vt significat S. Thomas cit. a. 3. in corp. inferius dicitur q. 2. dub. 3. & quæst. 4. dub. 2.

#### DVBIVM IV.

#### Ex qua materia corpus caeleste constat.

S. Thom. 1. p. q. 66. a. 2.

12 **N**omine caeli in principio ac initio primi diei creati non intelligi tantum caelum Empyreum, sed totum corpus caeleste, quoad suam substantiam, dictum est dub. 2. Quo posito, merito deinceps & conuenienti ordine, persilendo in expositione eiusdem operis primi diei, de caelorum natura & communibus proprietatibus (soliditate excepta, quæ proprie ad firmamentum, & opus secundæ diei pertinet) dubiis aliquot subsequenter differemus. Et quod ad materiam caeli ac presentem dubitationem spectat;

Suppono primo, caelum esse corporeum. Quæ communis & certa est SS. Patrum, ac Philosophorum sententia; nec de caelo sydereo dubitatio esse potest, cum sensui obiciatur. Empyreum vero licet iustitiam in admonitorio, intelligibile, Anselmus lib. 1. de imagine mundi c. 28. spirituale dixerit; ad hæc Origenes in Genes. hom. 1. caelo Empyreico corporeum opponat, & denique Steuchus in cap. 1. Genes. vltimus temere progressus, etiam lucem quandam increatam, & perenniter à Deo emanantem dixerit: tamen alii SS. Patres, hodieque Theologi omnes, merito caelum etiam Empyreum, vt pote non tantum Angelorum, sed etiam hominum beatorum sedem ac domicilium, corporeum esse docent. Vt taceam, quod Gennadius lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 12. absolute pronunciat, *nihil incorporeum & insensibile natura credendum, nisi solum Deum*.

Suppo-

3 Suppono secundo, iuxta receptam ex Aristotele 1. de celo cap. 7. tex. 64. & 12. Metaph. cap. 2. texto. aliisque Philosophis antiquioribus, Peripateticorum sententiam; quam S. Thomas 1. p. q. 66. a. 1. & 2. item Bonaventura, Agidius, Capreolus in 2. d. 12. Heruæus quodl. 4. q. 3. & alii Theologi ac Philosophi communiter, imo vt Ruuius infra ait, omnes recentiores sequuntur, omnem substantiam corpoream, adeoq; etiam cœlum, consistere materia & forma. Quod & SS. Patres in caput 1. Gen. disputantes, tanquam ratum ac firmum supponunt, vt videbimus: quicquid fauente non nihil S. Thomam 2. distin. 12. q. 1. a. 1. ad 5. post Aueroem in lib. de substantia orbis c. 2. & lib. 8. Metaph. c. 4. & 1. 1. de celo tex. 7. & 10. Durandus & Gabriel in 2. d. 12. Mayro, & Bassolis distin. 14. Godfredus quodlib. 2. q. 2. Iandunus 8. lib. Metaph. q. 7. itemq; Petrus Aureolus in 2. d. 14. a. 1. & 2. dixerint, esse quidem corporeum & quantū, at non compositum ex materia & forma; sed formam quandam per se coherentem absq; materia; quantitate aliisq; accidentibus quibusdam affectā. Quod ex parte etiam comprobatur Scotus in 2. d. 14. q. 1. vbi putat, secundum Theologos tribuendam celo materiam, secundum Philosophos negandam. Sed hoc præter alios merito refellit Dionysius Carthusianus in 2. d. 14. q. 1. vbi addit, quod opinio illa Auerois exstat erronea, Aristoteli quoq; contraria &c. etsi forte illa Erroris censura nimia videri possit.

4 Aristoteles certe lib. 1. de celo cap. 7. tex. 64. expressit: Cœlum autem est quidem eorum, quæ singularia sunt; & eorum, quæ ex materia. Et lib. 2. de generatione sum. 4. cap. 1. tex. 51. Sunt igitur, inquit, & numero equalia, & genere eadem, (principia) quæ & in sempiternis, & in primis: illud enim vt materia est, hoc autem vt forma. Et lib. 8. Metaph. cap. 2. tex. 3. ait: Sensibiles vero cuncta substantia materiam habent. Et lib. 12. tex. 10. Cuncta, inquit, quæcumque mutantur, materiam habent, sed diuersam. Et mox addit, sempiterna habere materiam non generabilem. Neque dubium, cœlum secundum Aristotelem esse substantiam sensibilem, cum oculis conspiciatur. Quod vero lib. 9. Metaph. tex. 17. negat, incorruptibilia esse in potentia substantiali; intelligendum est de potentia separabili ab actu suo. Ratio est. Quia omne corpus materiale est, adeoq; constans materia; cœlum autem esse corpus, fatetur Adversarij: Ergo, &c. Quod eum ex ipsis adeo terminis notum sit, non immerito ait Antonius Ruuius lib. 1. de celo c. 2. q. 5. oppositam sententiam ab scholis prorsus esse relictam.

5 His ergo positis, controuertitur, ex qua materia cœli consistit, & cuius adeo sint natura; eaq; etiam controuersia duplex est. Prima, an cœlum (saltem sydereum) ex aliqua præsupposita ac præexistente materia productum sit? Secunda, ex quamam materia cœlestia corpora consistit?

Et quoad primum attinet, patet iam ex dictis dub. 2. non modo cœlum Empyreum, de quo nulla hic est controuersia, sed etiam sydereum; imo & æreum, quoad substantiam, ex nulla materia præexistente productum, sed à Deo ex nihilo creatū fuisse: tamen illi ipsi, qui dicunt, in principio, & ante cetera omnia creatum, & ex nihilo productum fuisse, vna cum terra, solum cœlum Empyreum; cœlum vero

sydereum, etiam quoad substantiam, primū secundo die à Deo productum fuisse, consequenter asserant, id ipsum cœlum sydereum non ex nihilo, sed ex aliqua præexistente materia factum fuisse.

6 Quod tamen præterea, quæ cit. dub. 2. diximus, ex hoc etiam probabiliter refellitur. Nam si cœlum sydereū, siue firmamentum, ex præsupposita ac præexistente materia, terra videlicet, aqua, ære, vel igne (quæ sola ante firmamentum vna cū Empyreō producta fuisse dici possunt) factum fuisset, tunc ea productio à Moysē non solum Deo, sed ipsi etiā materiæ eiusmodi præsuppositæ tributa fuisset; nec adeo dictū à Deo fuisset, vt cap. 1. v. 6. legimus, *Fiat firmamentum &c. Et fecit Deus Firmamentum &c.* Sed potius dictū à Deo fuisset, producat terra, vel aqua, vel ære, vel ignis firmamentum: sicut ob eandem causam dictum est ibidem v. 20. *Producant aqua reptile animæ uiuentis, & volatile super terram.* Et rursum v. 24. *Producat terra animam uiuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terra, secundum species suas.* Plura inferius.

7 Quod uero ad alteram controuersiam attinet, ex quam videlicet materia cœlestia corpora consistet, de materia propinqua potissimū sermo est, ac si quæras, cuius sint natura? Cum n. quoad substantiam, vt dictū, ex nulla præsupposita materia, producta, sed proprie creata sint, non possunt dici ex hac vel illa, puta huius vel illius elementi materia consistere, nisi quia naturam his vel illis elementis similem, hisdemque dispositionibus materialibus affectam habent.

8 Hæc autem quæstio explicari difficillima iam olim uiris doctissimis uisa est; & quibus Philo lib. de somnijs: *Cœlum uero, inquit, naturam habet incomprehensibilem; nec ulla eius natura certa demanet ad nos. Quid enim possumus de hoc pronuntiare? Esse concretam glaciem, ut quibusdam placet, an ignem purissimum? an quantum quoddam corpus in orbem mobile, nulli assine ex elementis quatuor? Quid illa extrema sphaera fixorum siderum, habetne soliditatem, an superficiem tantum sine altitudine, figuram in plano pictis similitis? &c.* Similiter & Basilij utroque tractatu, seu potius versione Hexaemeron; nimirum homil. 1. & lib. 1. cœli naturam plane fatetur incomprehensibilem. Et Augustinus nusquam propemodum magis hæret, quam vbi de cœlorum natura ac proprietatibus disserit, vt inferius patebit. Denique Damascenus lib. secundo, cap. sexto ait, *Substantiam cœli nimum quærere non oportere, ignotam nobis existentem.*

9 Qua de causa etiam variæ prorsus sunt tam Philosophorum, sanctorumque Patrum, quam posteriorum, recentiorumque Doctorum ea de re sententiæ. Sunt enim multi veteres, recentioresque scriptores, qui cœlum sydereū, siue mobile ex materia elementari, adeoq; ex ipso aliquo elemento consistere uolūt. Etenim vt notauit Pererius lib. 2. in Gen. q. 10. præter vnum Aristotelem, qui cœlum quintæ cuiusdam essentia esse docuit, & naturā quandam ab omnibus rerum sublunariū naturis longe semotā diuersamq; omnium Philosophorum contorsit sententia, cœlum & astra vel ex quatuor elementis, vel ex duobus, vel ex eorum vno aliquo consistere. Quas Philosophorum sententiæ referunt Plutarchus lib. 2. de plac. Phil. c. 11. Philo lib. de somn. Theodoretus lib.

de mater. & mundo, Mirandula lib. 1. Exam, cap. duodecimo.

10 Et prima sententia est, cœlum & astra esse naturæ igneæ; adeoque materia ignis constare. Ita veteres Egyptii olim stellas cœlestes esse ignes tradiderunt. Anaximander docuit, solem ignem esse purissimum; Anaxagoras, solem esse candentem laminam seu ferum; Plato in Timæo necessarium esse docet, quia cœlum visibile est, ex igne constare; saltem potiore sui parte. Stoici itē omnes docent, sidera esse ignea, pascique & ali vaporibus ex aquis & terra sublati, & ad se attracti. Quod etiam sequitur & tuetur Balbus apud Ciceronem lib. 2. de natura Deorum, & post eum Plinius lib. 2. c. 9.

11 Sed & Augustinus, iisdem Stoicorum ac Platonis placitis insistent, pluribus locis indicat, cœlum & astra constare naturæ igneæ, ut notavit etiam Magister lib. 2. dist. 14. Namq; lib. de Genes. ad litteram cap. 4. (quem locum citauimus questione precedente conclusione secunda) cum Augustinus quatuor tantum agnoscat corpora simplicia, è quibus totus hic mundus coagmentatus est, terram, aquam, aerem & ignē, hunc maxime cœlo & astris assignat.

Et lib. 2. de Gen. ad litteram cap. 3. ait, *Itaque super aerem purus ignis, esse dicitur cœlum; unde etiam sidera atq; luminaria facta coniectant, illius videlicet igne a lucis in eas formas, quas in cœlo cernimus, conglobata disposita, natura.*

12 Fautent eidem sententiæ plerique alii SS. Patres, quicumq; aquas supra firmamentum existentes, veras aquas, & ad refrigerandum temperandumq; ardorem siderum, in cœlo positas fuisse tradiderunt, ut inferius dicetur. Sed & aperte ipsum totum firmamentum igneæ esse naturæ sensisse videtur Gregorius Nyssenus, in Hexæm. item Alcuinus quæst. 23. in Genes. Anselmus lib. 1. de imagine mundi cap. 25. & Dionysius Carthusianus enarrat. in Gen. art. 20.

13 Qui etiam in 2. senten. d. 14. quæst. 2. pro comperito habendum existimat, corpora cœlestia esse elementaris naturæ, cum ait: *Postremo omnibus iam prælati rite pro posse pensatis, securus reor, textum genesios, ac sanctos sequi Doctores, & ipsam Canonica scripturæ defendere veritatem. Certum est autem, excellētiōres sanctos Doctores, tam Latinos, quam Græcos, Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Gregorium, posterioresq; multos, videlicet Bedam, Strabum, Rabanum, Alcuinum Albinum; ut inter Græcos Basilium, Chrysostomum, Gregorium Nyssenum, Ioannem Damascenum, & alios plures, ita egisse, ita quod omnes hi senserunt, scripserunt, & fassi sunt, corpora cœlestia elementaris esse naturæ: opinio nem quoque illam (Aristotelis) quod sint alioris speciei & quinta essentia, ex intentione redarguisse, prout ex præallegatis ostenditur.*

14 Denique ex recentioribus Martinengus in cap. 1. Gen. pag. 666. etsi dubius tamen, si à Peripateticis discedendum sit, vero similiter censet, & ipsum cœlum ex elementorum summmitatibus coagmentatum, ex prædominio igneum esse. Quod etiam apertius tradit pag. 476.

Rationes esse possunt. Tum quia ipsa etiam scriptura soli calorem tribuit. Psal. 28. *Non est, qui se abscondat a calore eius.* Eccles. 43. *Sol in meridiano exurit terram, & in conspectu ardoris eius quæ potest sustinere?* Tum quia aspectu ipso videtur deprehendi, astra non

solum lucida esse, sed etiam flammantis cuiusdam & coruscantis naturæ; ut ex perpetua omnium ferè stellarum scintillatione colligitur. Idem significat nomen Ætheris, (vt de cœlo Empyreozæam) quod ab igne dicitur.

15 Secunda sententia est, astra quidem esse naturæ igneæ; at vero cœlos ex aquis, seu aquea materia constare. Refert & sequitur hanc sententiam velut communem Procopius in cap. 1. Genes. *Sunt, inquit, qui perhibent, eius naturam nobis parum esse cognitam & comperitam: quamvis via perulgata omnium Theologorum, ex aqua compactum esse tradatur. Nec desunt, qui autumant eius materiam esse aquam, & subsistere, Deo id formante & componente. Alii docent, saltem esse partē quandam aquæ. Quidam affirmant, firmamentum constructū esse ex tertia aquarum parte, aliis duabus partibus, altera in terra, altera supra firmamentum fluente. Vnde Hebræorum lingua nuncupetur firmum (Samain) quæ dicitur Crystalum, vel aquam congelatam denotat.*

16 Et Cyrillus catech. 9. distincte docet, *aquam esse cœlum, & igneum in se solem, & lunam, & sidera.* Eiusdem sententiæ sunt, Iosephus lib. Iud. antiquitatum cap. 1. Clemens Romanus lib. 2. Recognitionum, Theodoretus quæst. 11. in Genes. Gennadius & Severianus in catena, Beda in Hexæmeron, Hugo lib. annot. in Genes. Magister sententiarum lib. 2. dist. 14. Author historia Ecclesiastica lib. 1. cap. 4. & ex recentioribus Molina prima parte tractatu de opere sex dierum, disputat. 2. & 10. Catharinus item in epist. 2. Pet. cap. 3. & Heb. 1. Valerius Philof. fac. cap. 89. Martinus del Rio in cap. 1. Genes. Salmeron in Euang. tom. 1. Prolegom. 5. & tom. vlt. in 2. Pet. cap. 3. disputat. 4. aliiq; nonnulli recentiores: qui aperte sentiunt, cœlos esse naturæ elementaris; adeoque constare ex materia elementari, idque contra Peripateticos ex scriptura liquere autumant.

17 Verba Bedæ, perspicue mentem eorum, quos citauimus, explicantur: *In medio aquarum firmatum esse constat siderum cœlum: neque aliquid prohibet, ut de aquis factum esse credatur. Qui enim crystallini lapidis, quanta firmitas, quæ sit perspicuitas, ac puritas nouimus, quem de aquarum concreione certum est procreatum: (ita author hic, & plures alii veteres existimabant) quid obstat credi, quod idem dispositor naturarum in firmamentum cœli substantiam solidarit aquarum?*

18 Ad astra vero pertinere existimo, quod idem Beda docet alibi, cœlum esse naturæ igneæ, sic enim ait cap. 1. de nat. rerum: *Cœlum sublimis, igneæque naturæ, rotundumque & a centro terræ aquis spatium undiq; collocatum.* Et lib. 2. de Elem. Philos. initio: *Ignis, inquit, est spatium à luna sursum; quod idem æther dicitur; cuius ornatus est, quicquid supra lunam videtur; scilicet stella tam infixa, quam erratica.*

19 Ratio sumitur tum ex similitudine, quam ratione perspicuitatis & puritatis habet cœlum cum aquis, præsertim congelatis. Tum quia id ipsum etiam colligi videtur ex scriptura. Nam vt Molina disputatione secunda ratiocinatur, *firmamentum factum est in medio aquarum, eoque diuisit Deus aquas ab aquis, ut scriptura sacra aperte narrat Genes. primo, vers. 6. primo. Ergo ante firmamentum non erant aer & ignis; alioquin aqua superiores, iam fuissent diuisa ab aquis inferioribus aere, aut simul etiam igne, ac proinde non diuisa.*

diuiffisset eas firmamento, nec scriptura narraret, Deum dixisse, Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas. &c. Cum ergo in interstitio, quod firmamentum hodie occupat, non fuerit vacuum, a principio creationis caeli & terra, usque ad secundam diem, in qua factum est firmamentum, nec detur aliud corpus, quod in eo spacio fuerit, praeter aquas, quas scriptura a principio una cum caelo & terra commemorat factas, colligitur profecto, in eo spacio fuisse aquas, ex eisque fabricatum fuisse firmamentum, hoc est, orbis omnes caelestes, ignemque & aerem. Neque enim dicendum est, aquas quae ibi erant, fuisse redactas in nihilum, de nihiloque creatum fuisse secundum diuiffisset eas firmamento. Ita Molina.

20 Idem colligitur ex hebraico nomine caeli *Schamym*, quod ad verbum sonat, *ibi aqua*: quanquam hoc magis probat aquas supra caelos esse, ut dicitur q. 8. quam ex aquis caelos.

21 Tertia sententia est, caelum esse naturam aeream. Ita quosdam recentiores Astronomos sentire refert Tycho Brahe epistola ad Christophorum Rottmannum, Mathematicum Landgrauianum data Anno 1588 die 17. Augusti, ubi ait: [Materiam sphaerarum caelestium tu non aliam, quam elementarem aeream esse, & refractiones nullas ob diaphanorum aetheris & aeris diuersitatem fieri contendis; omnemque refractionum occasionem, in solos vapores horizonti obuolantes reiecis. Et infra: Qui vero caelum, inquit, aereum statueret, neminem ante Iohannem Pennam Gallum percepi: Cuius tu sententiae suffragari videris: & nuper etiam Iohannes Iordanus Nullanus in quodam scripto de mundo, contra Peripateticos idem asserere, ausus est.

22 Et rursum in alia epistola ad eundem, Anno 1589. 21. Februarii data: [Quantum vero, inquit, ad priorem epistolae tuae partem attinet, in qua copiose & perseueranter materiam caeli esse aerem elementarem contendis, nec a semel arrepta sententia te vllis ratiociniis dimoueri sinis: eaque, quae in contrarium merito dicuntur, speciosis subterfugijs eludere conaris, hisce non constitui sigillatim multa respondere. Quin per me tibi liberum sit, elementum aeris caelo miscere; siquidem non aliter vis; imo si quis caelum aqueum, ut Hebraei, vel igneum, ut Paracelsus, aut etiam terreum (modo cui sic libeat) aut quiddam ex his quatuor compositum, ut nuper Franciscus Vallesius affirmare praesumpsit, mea etiam non intererit. &c.] Argumentum pro hac sententia sumitur ex refractione, quae eadem est in aethere & in aere; quod fieri non posset, si aether ab aere naturae esset diuersae.

23 Quarta sententia est, caelos esse naturam terrae, adeoque ex terra fabricatos. Ita sensisse feruntur Thales & Anaximenes; & ut nonnulli volunt, etiam Empedocles.

Ab his omnibus diuersa est quinta sententia, quam sequentibus assertionibus explicamus & tuemur.

24 Assertio I. Caeli non constant ex igne vel aqua elementari; aut vlla materia, seu natura elementari; sed sunt propriae cuiusdam ac quintae essentiae, ab omnibus quatuor elementis diuersae. Ita ex instituto, ac forte primus omnium docet ac probat Aristoteles lib. 1. de caelo cap. 2. & 1. Meteor. cap. 3.

quem secutus est Theophrastus discipulus ipfius; omnesque Aristotelis interpretes; tam Graeci, quam Arabes; speciatim Aueroes, Auicenna, Algazel. Quos ab annis iam quadringentis, sequuntur omnes fere Scholastici.

25 Albertus in 2. d. 14. q. 2. docet, caelum ac materiam caeli [non esse eiusdem naturae cum sublunariibus; & addit: Coelum secundum Augustinum, non est de natura aquae deorsum fluxibilis; sed est ex aqua, quae propter puritatem naturae, in substantia; & perspicuitatis, in dispositione materiali, ac luminositatis in profundum sui, per opus distinctionis, sita est super caelos, ut ex ea formarentur caelestia, sicut est dictum. Et illa aqua nullum est elementum.] Item Aletensis 2. parte q. 50. [Coelum, inquit, stellatum videtur ex eadem esse informi materia, de qua dicitur Genes. 1. Spiritus Domini ferebatur super aquas; non tamen ex eadem materia propria: imo sicut differt caelum crystallinum a firmamento, & aquae inferiores differunt a firmamento, ita differunt propriae horum singulorum materiae.] Vbi aperte sentit aquas illas, ex quibus firmamentum coaleuit, esse diuersas ab his aquis inferioribus. Idem docet Guilielmus Parisiensis, eiusdem synchronos, aut paulo antiquior lib. de vniuerso part. 1. cap. 39. ubi inter cetera ait: *Forma ergo caelorum, quam medium illud aquarum in sua suscepit materia, distincta natura est a formis elementorum, & elementorum: ideo nec a calore, neque frigiditate exsistat passibilis.* Et infra ait: *aquas quae supra caelos sunt, non esse ibi in forma aquarum, quae circa nos sunt.* Nec dissentit Altifiodorensis in summa.

26 Idem constanter & aperte docet S. Thomas 1. p. q. 66. a. 2. & in 2. d. 14. Vbi ait: *Circa hoc, fuit diuersa Philosophorum opinio. Omnes namque ante Aristotelem dixerunt, caelum esse de natura quatuor elementorum. Quod Aristoteles primo improbauit, dicens caelum esse sine grauitate & leuitate, aliusque contrarius, ut patet primo caeli. Et propter efficaciam rationum eius, posteriores Philosophi consenserunt ei. Vnde nunc omnes opinionem eius sequuntur.*

27 Idem ergo docent Bonauentura, Richardus, Scotus, Durandus, Capreolus, & alii in 2. d. 14. Ferrariensis lib. 3. cont. gent. cap. 20. item ex recentioribus Pererius lib. 1. in Genes. Gregorius de Valentia 1. p. disp. 5. q. 2. p. 1. Suarez disp. Metaph. 16. sect. 2. num. 8. Fonseca cap. 4. q. 2. Tolerus item, Conimbricenses, & alii commentatores Aristotelis in libros de caelo communiter: item Caietanus, Bannes, Zamel, & Thomistae omnes in 1. partem Sancti Thomae.

28 Eandem sententiam ex Astronomis recentioribus sequitur, & strenue propugnat Tycho Brahe, in pluribus locis suarum epistolarum Astronomicarum. Etenim epist. ad Rottmannum Mathematicum Landgrauianum data, Anno 1588. 17. Augusti, ita scribit: [At ego caelum quidem non e dura imperuiaq; materia, in formam membranarum pellucidarum extensa constare, velut haecenus etiam a praecipuis Philosophis creditum est, vel ex ipsis cometarum motibus edoctus sum; aereum tamen, vel vllius elementaris naturae particeps esse, nequaquam admifero. Absit enim ut purissima perfectissimaque, & nullis mutationibus obnoxia caelesti

naturæ elementare, corruptibile, & variabile, atque huic inferiori caducæ regioni conforme aliquid as-  
suatur, nam nec id vnquam vllus saniorum Physico-  
rum admittere ausus est, Omnes siquidē vnanimiter  
cælum è numero & natura quatuor elementorum  
prorsus exemptum, & præstantiorem quandam na-  
turâ præferre certissime statuunt, ideoq; illud quin-  
tâ quandam essentiam, à quatuor illis elementaribus  
prorsus diuersam, longeq; excellentiorē nuncupa-  
runt. Quod igitur Physici abhorrent, non admitta-  
tur, vt ipsi Mathematici tanta cælum labe aspergant,  
vt ex aere elementari illud constare asseuerantes, sim-  
plicitissimæ & purissimæ, adeoq; perfectæ ipsius sub-  
stantiæ & naturæ plurimum derogent. *Et infra:* Neq;  
etiam ignoro, inquit, quosdam Theologos, è Mose  
procul dubio minus recte intellecto, asseuerare, cælum  
ex aquea materia constare, quam tamen inter-  
pretationem Philo Iudæus non admittit, sed ipsum  
nullatenus ex vllis elementis compositum contēdit.  
Videtur etiam hæc sententia omni naturali ratiocina-  
tioni plurimum aduersari. *Et paulo infra:* Verum  
licet, inquit, nulli mortalium de ipsissima coeli mate-  
ria (si modo è materia aliqua constare proprie dici  
potest) certi quid proferri in promptu esse credam:  
est enim cælum abstractum quid, immateriali simi-  
le, nostrum captum effugiens, nihilominus satis  
concludere licet, ipsum de nulla elementari natura  
participare: cum hæc sit longe præstantius & diui-  
nius quiddam, adeoque incorruptibile, & supra om-  
nem elementorum qualitatem exaltatum, è puris-  
sima, simplici, & pellucida, rarissimaque substantia,  
admirabili Dei sapientia, & nobis imperferutabili  
modo plasmatum. &c.] Et rursum epist. ad eun-  
dem Rottmannum Anni 1589. 21. Februarii, post  
aliorum sententias commemoratas subiungit: *Modo  
est mihi quid sentiam, libere proferre liceat, celi videlicet  
substantiam esse ætheream & liquidissimam purissimam-  
que quandam materiam, supra omnem elementorum na-  
turam exaltatam, ad singularem quandam perfectionem  
deductam, velut quintam quandam essentiam, nulli mu-  
tationi aut alterationi obnoxiam, quæque peregrinas im-  
pressiones naturaliter non recipiat.*

29 Porro ex SS. Patribus idem sentit Sanctus Dio-  
nysius libro quarto de diuin. nom. cap. quarto, vbi  
ait, corpora cœlestia esse eius essentia, ac natura, quæ  
nec crescere, nec minui potest; nec vlla ex parte (muta-  
tione corruptiua) mutari. &c. quem locum inte-  
gram adducemus quæstione quinta. Vbi cum as-  
ferat, cælum esse naturæ incorruptibilis, vtique  
sentit, habere naturam à quatuor elementis, & iis,  
quæ ex ipsis componuntur, diuersam. Ita etiam  
S. Dionysium intellexit Sanct. Thomas, inferius re-  
ferendus.

30 Ita etiam plane sentit Basilius, etsi pro opposita  
sententia citari solitus. Ita enim ait homil. 3. in  
Genes. [Nec tamen ipsum firmamentum, cum  
iuxta communem & vulgatam acceptionem, ex  
aqua videatur ortum habuisse suum, aut aquæ in-  
glaciem concretæ, aut materiæ cuiquam tali, quæ  
sui principium ortus ex humore percolato sumit,  
simile censendum est esse, qualem crystalli lapidis  
naturam esse constat, &c. Ex his igitur nulli simi-  
le firmamentum esse censemus. Est enim puerilis,  
simplicisque profecto mentis, tales de corporibus

cœlestibus opiniones habere. Neque tamen si  
cuncta in cunctis insunt, ignis in aere, aer in aqua,  
ceterorumque similiter aliud igeest in alio, & nul-  
lum omnino eorum, quæ sub sensum cadunt, ele-  
mentum syncerum est, mixtioneque caret, vt non  
sicut medii, aut oppositi sibi particeps, firmamen-  
tum ob id ipsum, aut ex vno simplicium corporum,  
aut ex omnibus mixtum esse asserere nobis placet;  
qui iam ab ipsa diuina scriptura ita instituti sumus,  
vt nihil vltra ea, quæ sunt concessa menti nostræ, i-  
maginari cogitaret; concedamus. &c.] Idem mul-  
to apertius docet Basilius in eodem opere Hexaem.  
iuxta Eustathii recens editam versionem libro pri-  
mo, vbi diserte ait: *Nec de illis principalibus corporibus,  
quæ vocantur elementa, possibile nobis est credere, cælum  
fuisse compositum.* Idem sensisse Augustinum refer-  
loc. cit. Albertus, nec male Tycho in eandem sen-  
tentiam citat Philonem lib. de somniis loc. cit.

Hæc vero assertio dupliciter probari potest. 31  
Primum ratione naturali; quam Aristoteles ali-  
que Philosophi petunt à motu, à figura, à loco,  
à constanti & immutabili duratione, ab actione  
propria cœlorumque probatio est minime sit con-  
temnenda; non est tamen hoc loco à nobis fusius ex-  
plicanda.

Altera probatio, & quidem solidior; sumitur. 32  
ex historia Genesis, adeoque ex diuina scriptura;  
quæ eo plus in præsentia habet momenti, quo mag-  
is authores quidam, præsertim recentiores, pro  
opposita sententia citati, existimant, nec vllum a-  
liud maius esse suæ sententiæ firmamentum, quam  
scripturam; nec vilo argumento validius refelli  
nostram, quam scripturam; quam vt dixi nobis è dia-  
metro aduersari autumant. Eam autem rationem  
ita formo.

Nam si cælum vllum constaret ex materia. 33  
alicuius elementi, necesse foret, vt vel productum  
esset ex præexistente alicuius elementi materia,  
vel certe materiam haberet proprietatibus & dis-  
positionibus propriis alicuius elementi affectam,  
quam materiam secundam vocant Philosophi: at-  
qui neutrum dici potest. Non primum, vt parim  
patet ex iis, quæ præcedente quæstione, & initio  
huius quæstionis diximus; partim ex iis, quæ di-  
centur quæstione octaua, vbi probabimus, aquas  
quæ super cœlos sunt, non esse elementares. Nec  
secundum; quia cælum est corpus simplex non  
minus quam cætera elementa, vt communiter om-  
nes supponunt. & patet non solum ex simplici mo-  
tu, quem habet; sed etiam tum ex præstantia eius  
naturæ ab elementis prorsus independentis, tum ex  
ordine productionis diuinæ, qua à Deo creatum fuit  
ex nihilo. in principio, ante omnia corpora compo-  
sita, vna cum terra, aliisque elementis, vt dictum quæ-  
stione præcedente. Cū ergo cælum sit corpus sim-  
plex, & ab elementis adeo independentis, habet vtique  
ex suamet natura, non ex alterius elementi cuiusque  
participatione, suas qualitates, & dispositiones sibi  
proprias, atque ab aliis aliorum elementorum qua-  
litatibus non minus distinctas ac independentes,  
quam singula quæque elementa, cum aliis elementis  
collata habent.

Quo fit, vt etiam si fortasse qualitates quædam, 34  
tam in cœlo, quam in elementis, aliquo modo cõsi-  
miles

miles inuenirentur, quemadmodum etiam elementa symbolica inter se, ignis quidem & aer calore, ignis & terra siccitate, terra & aqua frigore aliquo modo conueniunt; non tamen propterea magis dicendum foret, cœlum constare ex materia alicuius elementi, quam elementum quodlibet suâ naturâ, & ex vi primæ productionis diuinæ, dici possit constare ex materia alterius elementi.

35 Confirmatur assertio. Nam si cœlum constaret ex igne, facile ob sui corporis vastitatem omnia combureret; vt argumentatur etiam Philosophus, 1. Meteor. cap. 3. Si ex aqua, facile ipso calore solis resolutum, deorsum fluere: si ex aere; non difficulter eodem calore solis, uti & à subiecta sphaera ignis, in ignem conuerteretur; si è terra, non sane locum sibi supremum iure vendicaret; denique si ex vllis elementis esse compositum; facile tot annorum chiliadibus, mutâ actione qualitatum primarum secundum aliquam etiam notabilem sui partem fuisset dissolutum: quæ tamen non est hic animus pluribus premere. Pluta ass. seq.

36 Assertio II. Sententia illa Aristotelis & Peripateticorum, quod cœlorum materia prima, sit alterius, ac plane diuersæ rationis à materia sublunari, non solum scripturæ ac fidei non aduersatur, sed est potius eidem scripturæ admodum conformis. Hæc assertio est contra Dionysium Carthusianum, & alios quosdam recentiores pro prima sententia citatos, qui censent, eam sententiam Aristotelis scripturæ aduersari; cum interim authores pro præcedenti sententia, non solum huic assertioni libenter assipulentur, sed plerique etiam reipsa diuersam vtrorumque materiam adstruant.

Probatu facile ex dictis. Si enim Scripturæ aduersaretur, id propterea fieret, quia scripturæ cœlos ex aqua elementari, aut alio elemento productos attestaretur; sed hoc verum non est, vt ex præcedenti assertione constat. Ergo, &c. Ex aduerso autem scripturæ huic sententiæ Peripateticorum non parum fauet: tum quia cœlos omnes quoad substantiam, non ex vlla præsupposita materia, nedum sublunari productos, sed ex nihilo creatos asserit: tum quia vbique cœlum contra terram ac sublunaria omnia velut excellentius quiddam condistinguit: tum denique quia cœlos naturâ suâ incorruptibiles esse indicat, vt dicitur quæst. 5.

37 Ad argumenta contraria ita Respondetur. Ad primum primæ sententiæ dico, calorem tribui soli, non qui in ipso formaliter insit, sed qui ab eo effectiue mediante luce procedat. Hic enim est, à quo se abscondere nemo potest, & quem sustinere vix possunt homines; quique exurere nonnunquam terras solet, vt scripturæ loquitur.

Ad secundum Respondetur. Splendorem & lucem esse proprietatem seu conditionem non tam ignis (purus enim non lucet) quam ætheris & cœli. Scintillatio autem illa astrorum, non ex flammæ agitatione prouenit: alioquin sol & luna, quæ ad aspectum maiora

sunt reliquis astris, magis scintillare viderentur; sed partim ex luminis exilitate respectu tantæ distantie, partim ex imbecillitate visus nostri, promouente phænomenon istud non-nihil etiam vaporum interuenientium volubilitate.

38 Ad argumenta secundæ sententiæ respondeatur. Ad primum, puritatem & perspicuitatem esse communem ijs etiam rebus conditionem, quæ minime sunt aqueæ naturæ, vt videre est in vitro, adamante, & ex veriori, etiam crystallo, quæ si ex aqua esset compacta, igne vtrique liquefceret; vt recte etiam notauit Guilielmus Parisiensis lib. de vniuerso parte 1. c. 38. 39.

Ad secundum, prætermissa opinione eorum, qui dicunt, nomine firmamenti secundo die producti intelligi aerem nebulosum, quod quæstione octaua refelleretur; Respondetur, primo die ex nihilo productum fuisse, non solum cœlum, Empyreum, terram, & aquam, vt vult Molina, sed etiam omnes cœlos, omniaque elementa, quoad substantiam, vt dictum quæstione præcedente, & ipse Sanctus Thomas etiam 1. part. qu. 68. articulo 3. speciatim de aere probat: [ Considerandum est, inquit, quod Moyses rudi populo loquebatur, quorum imbecillitati condescendens, illa solum eis proposuit, quæ manifeste sensui apparent. Omnes autem quantumcunque rudes terram & aquam esse corpora sensu deprehendunt. Aer autem non percipitur ab omnibus esse corpus, in tantum, quod etiam quidam Philosophi dixerunt, nihil esse, plenum aere vacuum nominantes. Et ideo Moyses de aqua & terra mentionem facit expressam, aerem autem non expresse nominat, ne rudibus quiddam ignotum proponeret. Vt tamen capacibus veritatem exprimeret, dat locum intelligendi aerem; significans ipsum quasi aquæ annexum, cum dicit, quod tenebræ erant super faciem abyssi. Per quod datur intelligi, super faciem aquæ esse ali-quod corpus diaphanum, quod est subiectum lucis & tenebrarum. ] Ita Sanctus Thomas. Dicimus ergo in spatio intermedio inter cœlum, Empyreum & terram, intercessisse statim ab ipso diei primi primordio, non solum aquas elementares, vt existimauit Molina, & ante eum Iunilius & Steuchus, sed etiam substantiam celestium corporum inferiorum, simulque elementorum ignis & aeris: ipsum autem firmamentum secundo die productum, aquas inferiores à superioribus diuisisse, quia cum antea aquæ superiores (quales quales essent) ab inferioribus nullo solido, fixo, & immobili essent termino determinatæ, iam secundo die per substantiam firmamenti, solido robore, instar crystallo, duratam & compactam, fuerunt solide & immobiliter diuisæ.

39 Dices, ipsam voculam *Diuisiois* significare, aquas illas superiores & inferiores, ante diuisionem fuisse coniunctas, vel contiguas, postea vero primum separatas.

Responderi potest primo, negando assumptum; quia non est necesse, vt vocula *diuidere* ita strictè accipiatur, pro diuisionem efficere, inter ea, quæ prius coniuncta essent; cum ibi

dem Genes. 1. vers. 4. & 14. lux & sydera dicantur tenebras & lucem dividere, quæ antea tamen coniuncta non erant: sed generatim significat, esse terminum determinantem inter duo, vel etiam condistinguentem respectu alterius. Quod optime etiam notavit Sanctus Thomas 1. part. citat. quæstio. 68. articulo 3. ad secundum, ubi ait, Si accipiantur aquæ diversa secundum speciem (vti censet ille faciendum, si firmamentum non pro aëre nebuloso & vaporoso accipiat) firmamentum dicitur dividere aquas ab aquis, non sicut causa faciens divisionem, sed sicut terminus utramque aquarum. Sed quia nos hac responsione non egemus;

40 Respondeo secundo; & concedo, aquas superiores & inferiores (eo communi nomine, ita vocatas, quod corpus aliquod diaphanum ac liquidum essent, iuxta Sanctum Thomam citat. quæst. 68. art. 3. & ea quæ dicuntur quæst. 8.) ante fuisse coniunctas & contiguas, cælumque ipsum & firmamentum ex aquis superioribus (hoc est cælesti & ætherea substantia adhuc fluida) condensatione & consolidatione factum, vt superius insinuauimus; hinc tamen non sequitur, aut vlla ratione probatur, aquas illas superiores, ex quibus productum fuit firmamentum, fuisse elementares; cum verius existimem, cum Sancto Thoma loc. citat. ad primum, aquas illas, quæ supra cælum sunt, elementares non esse, vt cit. quæstione 8. dicitur.

41 Id quod recte etiam docet Albertus, qui etiamnum inter sphaeras cælestes liquidum eiusmodi corpus eiusdem cum cælis naturæ interfulsum esse docet. Cum enim lib. de cœlis apud Dionysium Carthusianum in 2. distinct. 15. quæstion. 1. veterum quorundam Philosophorum sententiam retulisset, dicentium, [quod sphaera non contingunt, & quod corpus eiusdem naturæ est inter eas diuisibile, quidem à sphaeris, non tamen transfutabile in aliam formam;] idem eandem sententiam secutus in 2. distinct. 15. ait: [Præterea si quaratur, an sphaeræ cælestes se inuicem immediatè contingant; dicendum, quod ad hoc nil potest verius responderi, quam quod etiam responderunt Philosophi, vt pote quod sphaeræ cælestes non se contingunt: sed vna multum super aliam exaltatur, & in medio eorum est corpus spirituale, sicut aër, in quo omnes mouentur, &c.]

42 Ad auctoritatem SS. Patrum, quorum aliqui dixerunt, cælos esse naturæ igneæ, seu constare ex materia igneæ; alij esse naturæ aqueæ; Responderetur cum Sancto Thoma lib. 2. sentent. distinct. 14. art. 2. his verbis: *Expositores sacre scripturæ in hac diuersificati sunt, secundum quod diuersorum Philosophorum sectatores fuerunt, à quibus in philosophicis eruditi sunt. Basilium enim (cuius verba tamen superius pro nostra sententia posteriore loco citata non vidit Sanctus Thomas) & Augustinus, & plures sanctorum sequuntur in Philosophia, quæ ad fidem non spectant, opiniones Platonis, & ideo ponunt cælum de natura elementorum: Dionysius autem (Areopagita quæstione quinta citandus) fere ubique sequitur Aristotelem, vt patet diligenter insipienti libris*

eius, unde ipse separat corpora cælestia ab alijs corporibus. Et rursum ibidem ad primum: *Alij sancti, inquit, tradiderunt (cælum videlicet esse naturæ igneæ vel aqueæ) non quasi asserentes (ex sua mente) sed sicut videntes his, quæ in Philosophia dixerunt; unde non sunt maioris auctoritatis, quam dicta Philosophorum, quos sequimur, &c. vel potest dici; quod sumunt ignem & aquam secundum similitudinem & lucis diaphaneitatis. Ita Sanctus Doctor.*

Cuius responsionem optime confirmant illa, quæ Gregorius Nyssenus initio sui libri in Hexæmeron præfatus est: *Næque enim, inquit, propositionem defendere, aut dogma constituere profitemur, vt calumniantibus occasionem præbeamus; nec hisce scriptis interpretationis doctrinam tradere, sed animum & cogitationem nostram in hoc argumento duntaxat exercere.*

Certe quidem vti Basilium homil. 3. in Genes. deridet eorum opinionem, qui dixerunt cælum fuisse ex aquis productum; asserens, esse nimium puerile, nimium simplicis mentis, arbitrari, cælum fuisse ex aqua concretum: Ita Aristoteles lib. 2. meteor. ridet Stoicos, asserentes, esse naturæ igneæ, dicens, puerile esse opinionem, nec dignam Philosopho, dicere, solem pasci humoribus terrenis & aqueis in sublime ad ipsum attractis.

Contra quos etiam Pererius lib. 2. in Genes. q. 9. ait: *astras per se nec esse calidas, nec igneæ naturæ, multis nec dubijs rationibus conclusum esse a sapientibus. Accedit, quod idem Basilium homil. 1. Hexæmer. censet, de natura colorum non magno opere laborandum Ecclesiasticis scriptoribus.*

Ad fundamentum tertie sententiæ, Respondeo cum Tychone citat. epist. ad Rottmann. 1589. 21. Febr. *Nam licet, inquit, concedatur, nullam animaduerti refractionem in sole vel stellis, in data aliqua sublimitate, inde quidem satis sequitur, diaphanum vel nullam, vel imperceptibilem esse discrepantiam; sed non ob id necessario inferitur, vtriusque diaphani eandem prorsus qualitatem & substantiam existere: possunt enim diuersæ substantiæ & qualitates eidem diaphaneitati parere. Dabo exemplum è rebus inferioribus quæ manibus tractari, & visu discerni possunt. Si aquam pluuiam, vel nivalem præferam, aut etiam communem fontanæ; per sapientem reiterationem elevationem defecatissimam reddiderimus, idemque in vino quouis generoso fiat, donec ab omni phlegmate & impuritate liberentur, amboque hi liquores consimili crystallino excipiuntur, vtriusque diaphaneitas vni non discrepabit ab altera, quantum vllis sensibus dignoscere liceat, ideo refractionem, si qua forte hinc fierent, nulla erit differentia: ac tamen substantia & natura vni liquoris atque corporis diuersissima ab altera inuenietur. Idem quod è vino elicitum est, igneam & sulphuream redolebit qualitatem, adeo vt incensum totum flammis absorbeat, nullo post se relicto vestigio. Quod vero ex aqua constat, aqueum permanebit, & tantum abest, vt ardeat, vt ignem etiam citius quam antea extinguat, illi vt contraria resistat. Sic quoque cæli & aëris diaphaneitates, si vel prorsus eadem forent, quod tamen nondum satis obtentum est, nihilominus diuersam substantiam atq; materiam habere nihil impedit, &c. Neq; cometarum generationi atq; explanationi vllum, vt in existimas, fert subsidium;*

si cælum æreum statuatur: imo hoc potius quadraret, si Paracelsi igneum id esse concederemus. Nam cometa non æream, sed igneam potius quandam naturam præferunt. Quod enim tu e fumositate terrenis, etiam in ærem altissimum, quem intra ipsas reuolutiones siderum contineri vis, sublati, et illic illuminatis, cometarum procuracionem saluari posse existimas, ex vna absurditate, et incongrua assumptione alteram stabilire incassum laboras, &c. Ita Tycho.

45 Quæres, quam certa sit hæc doctrina, de materia cælorum. Respondetur, cælos & elementa non ex præexistente materia vlla fuisse creata, tam certum est, quam cælos omnes quoad substantiam, cum elementis omnibus, primo statim die ex nihilo à Deo fuisse creatos; quod licet non sit vnde quaque certum & exploratum; satis tamē firmiter ex scriptura probauimus dub. 2. Quod autem cælum sydereum non constet natura vel materia elementari, probabilius solum est, non certū. Tamen enim nulla ex scripturis suppetat ratio asserendi, cæli ex materia, seu natura elementari constare, tamen nec ex scriptura, alioque vilo argumento, id ipsum firmiter refelli potest. Denique quod cælum habeat materiam, plane à rebus sublunaribus diuersam, sub opinione solum adhuc versatur; quanquam ei Peripateticorum sententiæ non parum fauet scriptura, vt dictum; tantum abest, vt aduerfetur.

#### D V B I V M V.

### An cælum sit animatum.

S. Thom. 1. p. q. 70. a. 3.

1 **H**abemus ex dictis dub. præcedente, cælum esse corpus, & quidem simplex, atque ex nullo alio constitutum, sequitur, vt inquiremus, an sit animatum seu viuens: Et præponimus hanc quæstionem sequenti, de incorruptibilitate cælorum. Nam si cælos incorruptibiles statuamus, vix potest esse locus huic quæstioni, an cælum sit animatum: cum omne corpus animatum, quia vegetatiuum est, corruptioni sit obnoxium; è contrario vero si inanimè sit, non minus possit esse corruptibile, quam incorruptibile.

2 Nec de Aristotelis sententiâ hic disputamus, quem aliqui sibi persuadent, sensibile prorsus, cælum esse animatum, & quidem præditum animâ rationali siue intelligente, vt colligi videtur, ex eius lib. 2. de celo text. 13. & 61. & lib. 2. Metaph. text. 35. Atque hoc sane modo Aristotelem intelligit S. Thomas lib. 2. contra Gentiles c. 50. & in qq. disp. quæst. de anima art. 8. ad tertium, & ex recentioribus Vasquez 1. part. quæstion. 183. post Simplicium, Philoponum, & alios; licet complures, in quibus ipse etiam S. Thomas 1. p. q. 70. a. 3. Aristotelem interpretentur de intelligentiâ non informante, sed assistente, ex 1. 8. Phys. & 1. 12. Metaph. quod Philosophis discutiendum relinquimus.

Tom. I.

3 Omisso igitur Aristotele, cælos, aut sane sydera animata esse, docuerunt plerique Philosophi veteres; speciatim Pythagoræi, Platonici, & plerique Aristotelici, ac Plato ipse in Epinomide, iubet, astra vt Deos cœlestes coli & honorari; de quibus plura Eusebius de præparatione Evangelica lib. 1. c. 6. & Plutarchus lib. 1. de plac. Phil. cap. 17. & 23. Sed & Philo lib. de officio mundi, item lib. de Somnijs, & rursum lib. de Gigantibus stellas & viuentes, & intelligentes esse docet. Idem docet Plinius libro 2. hist. nat. capit. 8. Adhæc Auicenna cœlo etiam Phantasiâ siue sensum interiorem tribuit; cui Simplicius tres quoque sensus exteriores, tactum videlicet, visum, & auditum superraddit.

4 Ex Christianis vero ( præter Marsilium Ficinum argumen. 10. dial. de leg. & Carpentarium cap. 12. Platonicos.) Origenes tom. 1. comment. in Ioannem & lib. 1. peri archon capit. 7. stellas non solum docuit esse animatas, sed etiam virtutis & vitij capaces; Christumque proinde non solum pro peccatis hominum, sed etiam astrorum esse mortuum. Dubius olim de eadem re fuit Sanctus Augustinus lib. 2. de Genes. ad literam cap. 18. & in Enchiridio cap. 58. & lib. 1. Retractionum cap. 5. & 11. Quamuis enim lib. de immortalitate animæ capit. 15. & lib. 6. de Musica capit. 4. absolute pronunciauerit, ipsum etiam mundum esse animatum, & magnum quoddam animal, tamen hoc ipsum postea saltem vel incertum retractauit loc. cit. & alibi lib. 13. de ciuitate Dei cap. 16. contrarium indicat: vt & author libri de cognitione veræ vitæ cap. 6. tom. 9. operum Augustini, ( cum tamen ipsius liber ille non sit ) Platonis illam sententiâ prorsus damnat. Qua de causâ etiam Bonauentura inferius censet, Augustinum retractasse eam sententiâ, de cœlis animatis. Sed & Hieronymi sententiâ, hac in re perplexa esse videtur, vt fuse persequitur Ascanius Martinengus com. 2. in Genes. pag. 883. tamen is denique eam Origenis opinionem coarguat in epistolis ad Pammachium & Auitum.

5 Post hos eandem Platonicoꝝ sententiâ, cælos nimirum & astra animata esse, probabilem existimauit è Scholasticis etiam Aureolus in 2. d. 14. quæst. 2. art. 2. & quæstion. 3. articulo vnic. & apud Capreolum eadem distinct. fauentque, eidem sententiâ nonnihil Scotus 2. sentent. distinct. 14. quæst. 1. & Caietanus in psalm. 135. Sed & Sanctus Thomas olim ambigue aut inconstanter hac de re locutus est. Animatum enim, esse cælum, & quidem anima intelligente, sancta, & omnis peccati ex diuina prædestinatione experte, quæ proinde etiam ad societatem Angelorum pertineat, affirmare videtur, qq. disputat. quæst. de Anima art. 8. præcipue resp. ad 3. 4. & 5. & lib. 2. contra Gentiles capit. 70. & in opusculo de Angelis capit. 2. Negat autem, ac priorem adeo sententiâ ( quod optime notauit Caietanus 1. part. quæst. 70. art. 3. & aperte constat ex ipsis verbis Sancti Thomæ, quicquid

Yyy 2

non-

nonnulli dixerint) retractat idem Sanctus Thomas 1. p. quæst. 70. art. 3. Qua de causa etiam vtramque partem probabiliter defendi posse, existimat Ferrariensis cit. cap. 70. cont. gent. De eadem re dubius est etiam Dionysius Carthusianus in 2. d. 14. q. 4.

6 Denique ex recentioribus Martinengus in Genes. tom. 2. pag. 889. & sequenti, tamen quidem Auicennæ & Simplicij sententiam, quæ astra sensilia astruit, *explodendam prorsus & rejiciendam* pronunciet, Origenis vero, animas cælorum ante mundum creatas, & adhuc peccabiles assentis, merito damnet; de cætero tamen existimat, quæstionem hanc, num astra sint anima rationali prædita, *necne, problema esse, neutrum in via Patrum, nostramque partem ab Ecclesia damnatam*; idque etiam pag. 1018. absolute vocat, *problema*. Ac in eandem sententiam pag. 885. citat quoque Præceptorem suum Vielmium lect. 19. in Genes. Atque eo inclinant quoque nonnulli huius temporis Astrologi, vt astra animata esse existiment.

7 Expresse vero & absolute post Iulium Firmicum lib. 1. Met. cap. 3. Bellantium, aliosque apud Alexandrum de Angelis lib. 1. in Astrol. cap. 13. id docet Tycho Brahe epist. ad Rottmannum. Anno 1590. 18. April. data, ubi ait: *Verum hæc in cælestibus quædam, & longe viuacioris exquisitioreque modo eueniunt, quàm in animantibus terrestribus vel æquoreis: cū & cælum animatum esse, ipsaq; cælestia corpora animantia quædam cæli, vitali spiritu prædita, non abs re sensisse videatur diuina illa Platoniorum Philosophia.*

8 Cæterum cælos, siue astra animata non esse, communis est SS. Patrum doctrina, quam expresse tradunt Basilius in Hexæm. homil. 3. Ambrosius lib. 2. cap. 4. Psellus ex Gregorio Nazianzeno orat. 38. & 42. Cyrillus lib. 2. contra Iulianum, Lactantius lib. 2. diuinarum institutionum cap. 5. & 8. Chrysostomus hom. in Psal. 4. Procopius Comment. in Genes. Optime Damascenus lib. 2. fid. Orth. cap. 6. *Nullus, inquit, cælos, aut sidera animata esse existimet: anima quippe ac sensu carent.* Eadem est communis Scholasticorum sententia apud Bonauenturam lib. 2. senient. dist. 14. omniumque fere recentiorum, speciatim Catharini in caput 1. Genes. Pererij lib. 2. in Genes. q. 7. & c. Ex Philosophis idem sensit olim Anaxagoras, qui & propter eandem sententiam, accusante Cleona, supplicio affectus fuit, teste Theodoreto lib. de materia & mundo.

9 Assertio I. Cælum esse animatum, anima duntaxat vegetatiua, aut sensitua dogma quidem est in Philosophia absurdum; sed fidei contrarium, non videtur. Prima pars est communis sanctorum Patrum & Scholasticorum; nam etiam qui ex ipsis animam ei olim tribuere visi sunt, non vegetatiuam aut sensitiuam, sed rationalem tribuerunt. Ratio est; tum quia cælum est corpus simplex & simile, adeoque expers organorum ad vitæ munia obeunda necessariorum; tum quia nulla cælo astrisque conuenit nutritio, nullumque alimentum; sine quo tamen nec augmentatio, nec generatio animalica, nec vlla adeo vitæ actioque vegetatiua esse potest: sed nec sensitua, quia

hec illam supponit. Et certe si tam vastum animal, quantum cælum est, aut tam magnus animalium grex, quantum est stellarum numerus, nutrireretur, breui tempore totam reliquam mundi machinam, quam cælum iam antea quodammodo in ventre seu sinu gerit, absumeret.

Ratio secundæ partis; quam itidem à nemine video negari, est, quia contrarium nec in scriptura sacra continetur, nec ex certa aliqua fidei traditione colligitur, nec ab Ecclesia vsquam definitum est, vt magis patebit ex probationibus conclusionis sequentis, quæ animam quidem rationalem seu intelligentem cæli valide euertunt; sed non ita vegetatiuam aut sentientem. Accedit, quod hoc quæsitum parum ad Religionem faciat, sintne cæli, aut astra, prædita anima solum vegetatiua, aut sentientem.

11 Assertio II. Cælum esse animatum anima rationali, siue intelligente, erroneum in fide dogma est. Ita expresse docet & censet S. Bonauentura cit. d. 14. part. 1. a. 3. q. 2. ubi ait: *Quidam Philosophi posuisse videntur, quod cæli haberent animas, & quod cælum esset magnum animal, & quod moueretur à propria forma perfectiua, sicut mouetur animal; & hæc animam motricem posuerunt regi & dirigi à Deo, mediante intelligentia. Sed hæc positio falsa est & erronea.* Idem sententiunt Capreolus 2. distinct. 9. quæst. 1. art. 1. & Gabriel in 2. dist. 14. quæst. 1. Catharinus in cap. 1. Genes. & Pererius cit. lib. 2. in Genes. quæstio. 7. Eodemque modo censet Petrus Tarantius apud Dionysium Carthusianum in 2. dist. 14. quæst. 4. dum ait. *Alij posuerunt, quod (cælum) mouetur ab anima, dicentes corpora cælestia animata, & animas eorum mouere ea; vt assimilentur intelligentis in productione inferiorum. Sed hæc propositio existit erronea; quoniam corpora cælestia non sunt animata, cum non sint corpora organica, &c.* Neque dididerim, eam sententiam hodie ab S. Inquisitionis Præsidibus Romæ velut omnino erroris suspicionem carentem liberam esse permittam.

12 Probatur assertio primo ex scriptura. Nam cap. 1. Genes. non solum catalogus rerum creatarum proponitur, sed simul etiam ostenditur, quæ cuiusque creature sit ratio, quod munus, quis finis: & tamen ibi nihil vsquam de vita aut vitali actione, seu natura intelligente cæli, aut astrarum legitur: Etenim versu 1. creasse dicitur Deus cælum & terram, tanquam principia scilicet ac fundamenta totius mundi. Ver. 6. & 7. productum dicitur firmamentum, *vt diuidat aquas ab aquis.* Ver. 16. *Recessit Deus dicitur duo luminaria & stellæ, & que posuisse in firmamento cæli, vt lucerent super terram, & præssent diei ac nocti, & viderent lucem ac tenebras, ac essent in signa & tempora, &c.* cum tamen vers. 12. 20. & 24. ubi de plantis & animalibus productis sermo est, eorum vita, ac vitales actiones minime taceantur.

13 Imo in tota serie creationis operum diuinorum, nullius vsquam substantiæ ac corporis intelligentis fit mentio, priusquam ad hominis creationem deueniatur, cuius ea specialis excellētia specialis etiā prosopopœia à Deo præsignificata est, cū diceret: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem*

dinem nostram: quod planè etiam prius dictum oportebat, si cælum quoque & astra, natura intelligente, Dei imaginem ac similitudinem gererent. Similiter Deuteronomij 4. v. 19. astra non nisi ad ministerium hominis creata dicuntur; Ne forte eleuatis oculis ad cælum, videas solem & lunam, & omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt.

14 Secundo idem probatur ex communi sensu sanctorum Patrum & Doctorum, tam veterum, quam recentiorum. Licet enim, vt vidimus, olim pauci quidam dubitarint, aut secus senserint, multo tamen plures, ac ferè omnes constanter hanc sententiam defenderunt; nonnulli etiam ex doctissimis, quod in contrarium antea disputauerat, postea retractarunt, vt de S. Augustino, & S. Thoma dictum. Certe si quæ ex definitione Ecclesiæ afferentur, perspecta habuissent, nunquam vtiq; rem hanc in dubium vocassent.

15 Tertio prouide idem probatur ex definitione Ecclesiæ. Nam in synodo Constantinopolitana, secunda, quæ dici solet quinta synodus generalis, inter alios errores Origenis, etiam iste damnatus reperitur, apud Nicephorum lib. 17. cap. 28. Si quis dicit, cælum & solem, & lunam & stellis, & aquas quæ supra cælos sunt, animales quasdam esse & materiales virtutes, anathema sit. Siue vt alij referunt: si quis dicit, cælum, lunam, stellis animantes quasdam esse seu animales virtutes, anathema sit. Idem testatur Iouuerius in summa concilij Synodo Constantinop. vbi per virtutes animales, seu materiales, videntur, intelligi substantiæ corporeæ intelligentes, cum tamen diuerso modo Angeli in scriptura, & ab Ecclesiâ virtutes dicantur. Et cap. 27. apud eundem Nicephorum inter alios Origenis errores in quinta synodo damnatos, refertur etiam iste: Adhuc cælum, solem, lunam, stellis, & aquas, quæ supra cælos sunt, animatas & rationales quasdam virtutes esse. Sed & in noua editione Romana eiusdem synodi sub finem, per modum appendicis, refertur Epistola Iustiniani Imp. ad Mennam, in qua sub finem contra Origenem hic anathematismus n. 6. legitur: Si quis dicit, cælum, & solem, & lunam, & stellis, & aquas, quæ super cælos sunt, animatas & materiales esse quasdam virtutes, anathema sit: Eiusdemque epistola meminit Liberatus in Breuiario cap. 23. Et cum simul restetur, eandem postea approbatam fuisse à Vigilio Pontifice, non video, qua ratione etiam nunc hodie ea sententia tuto defendi possit. Certe quæ ad damnationem Origenis pertinent, in editis Actis V. Synodi desiderari, notaui etiam Baronius Anno 553.

16 Et ne quis existimet, id dogma damnari solum eo sensu, quod Origenes eiusmodi animas ante cælum productas, ac postea primum cum astris fuisse copulatas dixerit; aduertendum est apud eundem Nicephorum, eodem cap. 27. hunc errorem Origenis, distinctè ac separatim ab alijs commemorari: Ante corpus ipsum anima est, quæ quidem in cælo peccata commiserit. Et per se notum est, cum aliqua propositio damnatur, eam vt iacet, in proprio verborum sensu accipiendam esse. Non ergo rectè absolute dicitur, sententiam illam

de cælis seu astris animatis, nusquam ab Ecclesiâ damnatam esse: esto fortasse res hæc, cum vnus Nicephori & Liberati testimonio nitatur, necdum plane sit explorata & liquida. Accedit, quod in cap. Firmiter de sum. Trinit. & fid. Cathol. inter rationales creaturas, Angeli solum, & homines referuntur.

17 Quarto probatur ratione Theologica. Nam si cæli siue astra essent prædita animâ rationali, seu intelligente, tum ipsorum animæ aut essent in gratia, aut extra gratiam. Neutrum potest dici. Non primum; tum quia si in gratia essent; possent vtique à nobis etiam coli aliquo cultu sacro seu religioso, qualis hominibus sanctis conuenit; hoc autem prorsus est illicitum, vt patet ex citato loco Deuteronomij 4. v. 19. & rursum c. 17. v. 2. vbi dicitur; [Cum repertifuerint apud te intra vnam portarum tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier, qui faciunt malum in conspectu Domini Dei tui, & transgrediuntur pactum illius, vt vadant & seruiant dijs alienis, & adorent eos, solem & lunam, & omnem militiam cæli, quæ non præcepi, & hoc tibi fuerit nuntiatum, accedenque inquiseris diligenter, & verum esse repereris, & abominatio facta est in Israel, educes virum ac mulierem, qui rem sceleratissimâ perpetrarunt ad portas ciuitatis tuæ, & lapidibus obruentur.]

18 idem patet ex vsu ac sensu Ecclesiæ, quæ nunquam permisit, eiusmodi cultum astris deferri. Tum quia si stellarum animæ in gratia essent, aut beatæ iam essent, & tunc multo magis coli possent & inuocari, velut alij sancti: aut in via; & sic tam peccati, quam damnationis periculo forent obnoxia; quod tamen non potest asseri, vt mox dicitur.

19 Nam nec secundum illud dici potest, eas nimirum animas esse extra gratiam, ac in statu peccati; quia vel damnatæ iam forent; quod est absurdum, cum suas adhuc beneficæ ac honorificæ functiones in fulgido splendentique corpore erga mortales obeant, neque adeo loco damnatorum adhuc addicti sint: vel saltem possent damnari; quo autem quæso loco damnationis penas, quæue conditione soluent? An cæli in infernum detrudentur, vt ibi cum spiritibus alijsque damnatis penas exoluant? quando, saltem post extremum iudicium, ille solus erit locus damnatorum, vt ex Matth. 25. v. 41. colligitur. Dicere autè, locum beatitudinis, aut damnationis cælorum, etiâ esse posse extra cælum Empyreum, aut infernum, non bene admodum sonat: quando hic etiâ vnus quidam error Nouatorum nostri temporis est, cælum & infernum esse vbique, nec dari adeo certum beatitudinis ac damnationis locum.

20 Denique cum cæli & astra careant animâ vegetatiuâ & sensitiuâ, necessario etiam destituntur animâ rationali seu intelligente; vt pote, quæ in corpore esse non potest sine vita vegetatiua & sensitiua; qua seposita, nulla ratio est, cur anima rationalis corpus informet, quando ad intelligendum vel mouendum, per se corpore non indiget, vt rectè etiam argumentatur sanctus Thomas 1. p. loc. cit.

21 Neque vero opposita sententia vllum habet fundamentum. Quæ enim de cœlis Deum laudantibus; deque inuitatis ad audiendum, in scripturis dicuntur, ad profopociam pertinet; vt & alia quam plurima eiusdem generis, quæ de terra, igne, grandine, niue, alijsue creaturis inanimatis in iisdem scripturis sæpius leguntur. Quo spectat etiam illud Iob 38. v. 7. *Cum me laudarent simul astra matutina*: nisi forsitan hoc ad Angelos potius spectare videatur, vt quidam sentiunt. Cum tamen de Angelis, sub nomine filiorum Dei, postea primum fiat ibidem mentio.

22 Illud Baruch. 6. v. 59. *Sol quidem & luna ac sidera, cum sint splendida, & emissa ad utilitates, obaudiunt*, intelligendum est de obedientia materiali, seu executione eorum munerum, ad quæ, siue à Deo, siue ab ipsa natura destinata fuerint; non secus, quam quod ibidem dicitur v. 61. *Et nubes, quibus cum imperatum fuerit à Deo, perambulare vniuersum orbem, perficiunt quod imperatum est eis*. Et rursus v. 62. *Ignis etiam missus desuper, vt consumat montes & flumina, facit quod preceptum est ei*. Et psalm. 148. versu 8. dicitur: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius*. Denique ipse etiam astrorum chorus quandoque *militia cœli* vocatur in scriptura Deut. 17. versu. 3. 4. Reg. 17. versu. 16. & cap. 21. versu. 3. & 5. & cap. 23. versu. 4. & 5. Actor. 7. versu. 42. quia ad nutum DEI præsto adest, ac sæpe operationibus suis contra hostes DEI mirabiliter pugnat, &c.

23 Quæres, etsi astra quidẽ per se nõ sint animata, anne tamen ab hominibus mortaliẽ naturalẽque vitam viuentibus incolantur, eo modo, quo apud Ciceronem lib. 4. qq. Academicarum Xenophanes olim affirmavit, *habitari in luna, eamque esse terram multarum urbium & montium*. Et sane quidem nõ desunt hac tempestate ex astronomis nõnulli, quibus hoc videatur esse persuasum.

24 Verum vt breuiter dicam, quod sentio, planẽ existimo, id sine temeritate dici non posse, non solum quia nullum est eius tam nouæ & insolentis assertiois fundamentum; sed etiam quia multa sunt in scriptura ac fide nostra, cum quibus ea opinatio non bene coheret. Nam I. Genes. 1. versu. 6. & 17. longe aliud munus & officium cœlis & astris à DEO assignatur, quam vt sint mortalium hominum sedes vt dictum.

II. Genes. 1. versu. 28. & cap. 2. v. 7. & capit. 3. v. 23. legimus, hominem productum super terram, & de limo terræ, ac positum in paradiso & ex eo postea eiectum, atque ad colendam terram destinatum, sicque ex eo totum genus humanum propagatum: in altris vero hominem fuisse, aut primo creatum, aut deinceps positum, nusquam legimus.

III. Deuteronomij 4. v. 19. astra dicuntur, fuisse creata in ministerium sanctis gentibus, quæ sub cœlo sunt. Quod si etiam in ipsis astris sunt nouæ quædam ac peregrinæ gentes, non his tantum quæ sub cœlo sunt, sed illis vtique etiam, ac multo magis quidem, in ministerium creata dici debebant.

IV. Psal. 113. v. 16. Sola terra hominum habitationi assignatur, *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum*.

V. *Christus saluator est omnium hominum*, 1. ad Timoth. 4. versu. 20. *qui omnes homines vult saluos fieri*, 1. Timoth. 2. versu. 4. nunquid etiam eos, qui astra inhabitant? At quos illi Apostolos ac prædicatores fidei habuerunt? Quod Baptismi & Sacramentorum ministerium, sine quo, iuxta ordinariam DEI legem, non est salus?

VI. Actorum 17. v. 26. perspicue ait Apostolus, *Fecitque ex vno omne genus hominum inhabitare super vniuersam faciem terræ*.

VII. Vna est Ecclesia, in qua etiam sanctorum est communio, ex Symbolo Apostolorum; quæ autem est communio cum ignotis illis astrorum seu lunæ incolis? Omitto alia. Dixi tamen mortales naturalem vitam degentes illic nullos esse: quia ante forte Enoch & Elias, ab hoc mundo translati, diuino miraculo illic conferuentur, vitamque agant, non est huius loci disputare. Conscientiæ his ea, quæ ad Annum Christi 748. referuntur, apud Baronium, vbi error appellatur, Virgilio Presbytero falso attributus *quod alius sit mundus, & alij homines sub terra sint, aliusq; sol & luna*. Et in margine dicitur: *Plures statuisse mundos, diuina reprobans scripturæ; ac proinde hæresis esse conuincitur*.

#### DVBIVM VI.

*An cœlum sit corpus natura sua generabile & corruptibile?*

S. Thom. 1. p. q. 66. a. 2.

COELUM corpus esse natura sua generabile & corruptibile, omnium Philosophorum, Aristotele excepto, communis fuit sententia, speciatim Platonis, Heracliti, Empedoclis, Anaxagore, Democriti; Stoicorum omnium & Epicureorum, qui etiã excepto Platone, cœlum quandoq; reipsa interituum dixerunt. Eadẽ videtur fuisse plurimum SS. Patrum sententia, qui non tantum docuerunt, cœlos aliquando diuina vi post extremũ iudicij diem corrumpendos, vt scripturæ varijs in locis testari quæst. 11. videbimus; sed simul etiam significant, eos natura sua esse corruptibiles; hoc ipso, quod vna cum plerisq; Philosophis docuerunt, cœlos esse naturæ Elementaris, adeoq; ex elementis vno pluribus constare; vt dictum quæstione 3. Qua de causa etiam nonnulli aquas supra cœlos collocatas fuisse dixerunt, vt eorum incolunitati tantisper esset consultum, vt dicitur q. 8.

Eandem sententiam indicat Magister in 2. dist. 14. & Dionysius Carthusianus in 2. dist. 14. q. 2. & aperte tradunt de recentioribus Catharinus in Heb. 1. & in 2. Pet. 3. Hieronymus Magius lib. 2. de exult. mundi, Franciscus Valesius lib. de Phil. sac. cap. 89 Alphonus Salmeron tomo 1. proleg. vltim. in 2. Pet. cap. 3. disputatione 4. & Martinus del Rio in cap. 1. Genes. & quidam alij; non autem, vt putarunt nonnulli, omnes illi, qui dixerunt, cœlum ex aquis aut elementis

produ-

productum; vt de Molina inferius dicitur: quia fieri potest, vt cœlum ex aliquo elemento, seu materia elementari putetur factum, & tamē corruptibile sua natura non dicatur. Eidem sententiæ fauet Ascanius Martinengus, tom. 1. in Genes. pag. 476. 605. 666. vbi de firmamento, & aquis supra cœlos differens, etsi denique fateatur, cœli naturam nobis esse incognitam, magis tamen in eam sententiam inclinatur, quæ cœlos asserit natura sua corruptioni obnoxios.

3 Addunt non pauci Sancti Patres, immortalitatem, & incorruptibilitatem nulli rei creatæ ex sua natura, sed solum ex dono & gratia DEI competere; qua de causa etiam Angelos per se ac sua natura, mortales & corruptibiles esse, quidam videntur existimasse. In quem sensum Damascenus libro secundo Fid. Orthodox. capite tertio *immortalis*, inquit, *Angelus est non natura, sed gratia; nam omne quod capit, & desinere suapte natura potest.* Sed de hac re iam actum superius disputatum. 5. quæstion. 1. dub. 3. vbi ostendimus, Angelos corruptibiles dici, non per respectum ad potentiam naturalem aut creatam, sed solum per respectum ad potentiam diuinam.

4 E contrario vero Aristoteles lib. 1. de cœlo capit. 3. & lib. 2. capit. 1. & in lib. de mundo ad Alex. si tamen eius est hoc opus, quia docuit, cœlum non esse naturæ elementaris, sed quintæ cuiusdam essentiæ, consequenter etiam asserit, cœlum esse naturæ suæ ingenerabile & incorruptibile. Eundem secuti sunt ex Sanctis Patribus Dionysius apud S. Thomam infra, & Gregorius Nyssenus lib. de hom. opif. cap. 1. item Albertus Magnus p. 1. de quatuor Cœcis quæst. 4. art. 1. S. Thomas hic cit. quæst. 66. art. 2. & in 2. d. 14. quæst. 2. Alensis 2. p. quæst. 40. Bonauentura 2. d. 14. art. 1. qu. 1. & 2. & tota Scholasticorum Theologorum, ac Peripateticorum schola, recentioresque adeo Scriptores Catholici prope omnes; ipse etiam Molina 1. p. q. 9. a. 2. d. 2. & reliqui citati quæst. præced. pro asserit. 1.

5 Assertio I. Vtraque sententia, & quod cœlum natura sua sit corruptibile, & quod sit incorruptibile; hæcenus salua fide, ac sine erroris periculo, ac temeritatis, vlliusque grauioris censuræ nota, etiamnum defendi potest. Videtur ex mente omnium Doctorum: neque enim, quod sciam, vllus est, qui suam hac de re in alterutram partem sententiam, adeo exploratam censeat, vt contrariam damnet, aut vlla seueriori nota perstringat.

6 Et quamuis complures SS. Patres in eam sententiam iuisse videantur, cœlos natura sua esse corruptibiles, minime tamen significant, eam rem ad fidem pertinere, vt nec ex fidei principijs eam firmam ratiocinatione deducunt; sed vt doctrinam ex philosophia Platonis, aliorumque; desumptam, partim etiam vt scripturæ aliqua ex parte consentaneam, cosmuniq; dudum iudicio comprobata tradunt: cum tamen postea non minus communi & frequenti Scholasticorum pene omnium calculo, melioribusque sane rationibus, vt dicitur, opposita Aristotelis sententia fuerit comprobata;

qui & ipsi tamen vtique suam hanc posteriorem sententiam quasi ex fide certam existimasse non putantur, neque ita etiam SS. Patres de sua sententia iudicasse existimandum est, vt in simili iam supra etiam q. 3. ex S. Thoma, ipsorumque Patrum confessione retulimus.

7 Præterquam quod non satis constat, Sanctos Patres, qui obijciuntur, adeo cœlum fecisse corruptibile, vt id simpliciter & absolute, non solum potentia diuina, vt de Angelis sensisse diximus, sed etiam vi naturali corrumpi posse existimaret: certe ante finem mundi corrumpendos esse nullorum eorum, quod sciam, asseruit. Qua in re à nonnullis huius temporis Astronomis, plurimum dissident; qui dum cometas, aut maculas solares, aliaque noua in cœlis phænomena conspiciuntur, mox indubie pronuntiant, hæc naturali generationi & corruptioni cœlestium corporum attribuenda esse; quasi iam finis mundi instet, quem cœlorum corruptioni ex scripturis destinant SS. Patres. Vide inter cæteros Irenæum lib. 4. ca. 6. vbi quidem docet, cœlum & terram transitura esse: sed cœlum naturaliter corruptibile, nullo verbo indicat. Idem dico de Clemente, siue S. Petro, apud Clementem lib. 2. Recognit. & quibusdam alijs, quia nonnullis imerito pro eadem sententia citantur.

8 Assertio II Non solum secundum naturalem rationem, sed etiam secundum scripturam ac fidei principia, multo probabilius est, cœlum esse corpus natura sua (siue ex vi formæ, siue ratione ipsius materiæ) ingenerabile & incorruptibile. Primam partem quoad rationem naturalem suppono ex Aristotele lib. 1. de cœlo, & ex Philosophia communiter recepta; desumiturque eius probatio, tum ex perfectione mundi, cum etiam rerum gradum exposcente, qui sit substantiæ corporeæ incorruptibilis, cum oppositus alter gradus substantiæ corporeæ corruptibilis, vtique iam in rerum natura existat; tum ex eo, quod cœlum non est naturæ elementaris, sed corpus simplex, quintæ cuiusdam essentiæ, vt ex motu circulari, alijsque signis colligitur, de quo quæstione 3. tum ab experientia. Quia è tanto numero stellarum, quæ compertæ hæcenus antiquioribus fuerunt, nulla tam parua fuit vnquam, quæ desideraretur; nulla ex ijs, quæ recens accedere visæ, tam magna, vt durationis constantia par æternis illis corporibus videri posset: vt hæc, nisi miraculum interueniret, merito naturæ seu rationis ab alijs diuersæ existimentur.

9 Altera pars probatur. Primo, quia secundum scripturam multo verius est, cœlos omnes quoad substantiam productos fuisse simul cum terra, ac cæteris elementis, adeoque non ex vlllo alio elemento, à quo corruptibilitatis defectum participaret, vt dictum q. 1. & 2. Secundo, scripturæ cœlo rebusque cœlestibus, non minus quam Angelis, peculiarem quandam perennitatem attribuit, qualem elementis nunquam concedit. Psal. 148. v. 1. & sequentibus: *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis, laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. Laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stella & lumen. Laudate eum*

caeli caelorum, & aqua omnes quae super caelos sunt laudent nomen Domini: quia ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt. Statuit ea in aeternum, & in seculum seculi: praeceptum posuit, & non prateribit. Vbi vides, caelos primo generatim, deinde speciatim, qui in caelis existunt Angelos, virtutes, solem, lunam, stellas cum lumine, caelos quoque caelorum, & aquas quae super caelos sunt; haec inquam omnia ita à Deo fuisse facta, ut stent in aeternum, & in seculum seculi, Quae conditione, ut significet propheta, terram caeteraque elementa, & quae ex eis componuntur, inferiora esse, mox illa quidem seorsim, suo etiam gradu & ordine Deum collaudantia, sed absque illa speciali praerogativa perpetuitatis ac perennitatis producit: Laudate Dominum de terra &c. Tertio sol in scriptura proponitur velut exemplar regni Christi, rei utique, quae corrumpi & deficere non potest. Psal. 88. v. 38. *Thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in aeternum, & testis in caelo fidelis.*

10 Alterum genus probationis pro eadem secunda parte secundae conclusionis sumitur ab auctoritate SS. Patrum, qui eandem sententiam aut aperte defendunt, aut ei non parum fauent. Primo enim communis est Patrum sententia, caeli supremum siue Empyreum, in principio scilicet à Deo creatum, perpetuum, & incorruptibile esse; neque vero id vlla ratione negari potest. Ita Clemens ex persona S. Petri. 2. Recognitionum ait: *caelos autem esse, qui ab eo facti sunt, sicut & lex dicit; quorum vnum sit superius, quo continetur visibile firmamentum: istud esse perpetuum & aeternum, cum his qui habitant ibi; illud autem in consummatione seculi resoluendum esse & transire; ut illud caelum, quod est antiquius, excelsumque, post iudicium, sanctis & dignis appareat.*

11 Iunilius in Hexaemer. [Ipsium enim est, inquit, caelum superius, quod ab omni huius mundi volubili statu secretum, diuinæ gloriæ praesentiae, manet semper quietum.]

Procopius in Genesim. [Decreuerat etenim Deus duo condere officina pulcherrima; alterum quidem mutationi, & corruptioni obnoxium, quod tamen neutiquam spirituales substantias perimere possit; & illud opus est, quod oculis nostris subiectum aspiciamus. Alterum vero liberum & vacuū voluit esse à praesentis seculi malorum labe; quod quidem auspicius est Christus, cum humanam indueret naturam.]

12 Idem sentiunt illi, qui caelum illud vocant intelligibile, spirituale, & quasi incorporeum, ut dicitur q. 3. Atque eadem est ratio firmamenti seu caeli syderei, quoad hanc conditionem: non solum quia & hoc, quantum ad substantiam, in principio, non ex vlla elementari materia, sed ex nihilo creatum fuit, ut probauimus dub. 2. tamen quidam ex citatis Patribus contrarium supponant; nec vero est corruptibile quidquam, nisi elementaris naturae: sed etiam quia valde consonum rationi videtur; caelum vtrumque, empyreum inquam & sydereum, in ratione entis toto genere non differre. Imo Athanasius q. 5. ad Antiochum disertè scribit, *vnam esse caelorum naturam; sicut vna est hominum natura, &c.*

13 Deinde incorruptibilitatem caelorum vniuersim, ac perspicue tuetur S. Dionysius, quem etiam S. Thomas loco superius citato, in eandem sententiam

adduxit; sed nec verbis ipsius prolatis, nec loco annotato. Extat autem is locus, ad quem reuoluisse videtur S. Thomas, apud Dionysium de diuinis nominibus c. 4. cuius verba subinde per parenthesis breui notatione illustrata sic habent: *Quoniam & id, quod nobis in medio cursu orationis exciderat, caelestium principiorum & extremorum (quasi dicas totius substantiae caelestis) causa est summum bonum; eius (inquam) essentia ac natura (caelestem intelligit à summo bono causatam) quae nec crescere, nec minus potest, nec vlla ex parte (corruptiua mutatione) mutari: atque etiam motuum (causa scilicet est summum bonum) qui sine sono, quia ita loqui oportet, in maximo caeli cursu (nota caelum, non astra solum moueri) feruntur; descriptionumque stellarum, atque pulchritudinum, & luminum, firmitatumque ac quarundam stellarum multiplicis motus, (Planetas intelligit) quo transferuntur, duorumque luminum, quae magna scripta diuina appellant, ab ipsam locis ad eadem reuocationis & reuersionis, quae in orbem circumque fertur; quibus dies nostri & noctes definiti, mensisque & anni mensura comprehensae temporis, atque eorum, quae in tempore sunt conuersiones; & definiti, & numerant, & moderantur, & continent. Vbi manifeste vides, ex doctrina S. Dionysii, caeli substantiam, nec crescere, nec minus, nec omnino mutari posse, mutatione videlicet, ut dictum, corruptiua; nam secundum locum mutari, mox ipsemet ibidem docet.*

Idem meo iudicio aperte sentit Gregorius Nyssenus de opifice. hom. c. 1. vbi naturam caelorum dixit esse nulli mutationi (corruptiuae) subiectam Et infra: *Caelum, inquit, cum sit omnis ex per se mutationis nunquam, quiescit. Voluit nimirum Deus cum immobili natura (terrae) mutabilitatem, contraque mutabilitatis (corruptiuae) experti motum adiungere. Ita Nyssenus.*

14 Nec dissimulare videtur Iustinus Martyr de qq. à Christianis propositis ad q. vltimam, vbi ait: [Caelum quod creatum est, à Dei voluntate habet, ut non intereat, ad usum eorum, quae videmus; quo vsu expleto, in aliud immortalitatis genus transferetur. Deus enim, qui ei corporis magnitudinem tribuit, quantum voluit, non quantum potuit; poterat enim multo maius illud efficere, quam sit; nunc ipsū in suo immortalitatis genere ac termino manere voluit ad aliud tempus; cum ut Christiani, qui recte sentiunt, credunt, & aduersarius fatetur, res omnes in meliorem statum mutabuntur.] Habet ergo caelum ex sententia huius S. Doctoris etiam nulli ali-quod immortalitatis seu incorruptibilitatis genus.

15 Sed & Plato, & ex eo dicit Eusebius Caesariensis l. 11. de praeparat. Euang. c. 17. caelum non nisi à Deo dissolui posse indicant: [Praeterea, inquit Eusebius, de consummatione & immutatione mundi aperte, & magna voce scriptura praedicante, quia complicabitur caelum sicut liber. Et rursum, praerit enim figura seculi huius. Audi, quomodo Plato etiam hoc dogma comprobauit in Timaeo dicens: Constituit caelum visibile, atque tangibile, & propter haec, & ex illis, & talibus, & ex quatuor numero, mundi corpus factum est, proportione conueniens, à caeteris omnibus indissolubile, praeterquam ab eo, qui colligauit. Et post pauca: Tempus igitur cum caelo fa-

dum est, vt simul facta, simul etiam dissoluantur, siquando solutio quædam ipsorum fiet. ] Et post pauca subiicit; [ Quod ligatum est, solubile est; quamuis si bene aptatum beneque ligatum solvere vult, bonus non sit. Quare inquit (Plato) Deo attribuens verba: dij quorum ego creator ac pater sum, quoniam facti estis, immortales quidem non eritis, nec indissolubiles omnino. Non ergo dissoluemini, nec in mortem deducemini, maiore vinculo colligati. ] Vbi de cœlis sermo est, quos substantias intelligentes, adeoque deos quosdam, sed à summo Deo creatos Plato existimauit. Eodem modo Platonis in Timæo sententiam refert Aristoteles lib. 1. de cœlo tex. 109. vbi ait: [ Sunt autem quidam, quibus fieri posse videtur, & ingenerabile quippiam existens corrumpi, & genitum incorruptibile perdurare, vt in Timæo. Ibi enim ait Timæus, cœlum factum quidem esse; non tamen esse corruptibile. ]

Denique eam Aristotelis sententiam de incorruptibilitate cœlorum, referunt, nec admodum improbant Cyrillus Alexandrinus lib. 2. contra Iulianum, Basiliius Hexæm. Homil. 1. Gregorius

Nyllenus siue Nemesius libro tertio Philosoph. capit. 4.

Quæ vero contra cœlorum incorruptibilitatem ex scriptura obijci possunt, testante, cœlos in die iudicij corrumpendos, declarabuntur quæstion. 4. dub. 4. Hic satis est, dicere, etiamsi cœli quoad substantiam corrumpendi tunc forent; (quod tamen minime probatur,) non ideo consequens esse, eos naturâ suâ corruptibiles esse: cum Deus sua virtute vtique etiam quæ natura sua perpetua sunt, destruere possit.

Sed ad quid, obijciat tunc aliquis, Deus cœlos fecisset incorruptibiles, si aliquando substantialiter destruendi forent? Respondeo; vt quia aliter secundum naturam fieri non poterant, aliquando saltem tempore, quantum mundi hominumque vsus deposceret, Deo seruitium hoc suum imperanti non denegarent. De nouis phænomenis, quæ eidem corruptibilitati cœlorum obstare videntur, dicitur quæstion. sequenti. Atque hæc de communibus proprietatibus cœlorum. Nunc de firmamento speciatim agendum.

Q V Æ S T I O III.

De opere secundæ dici, nimirum firmamento, ac soliditate cœli, itemque de aquis supra & infra firmamentum existentibus.

S. Thomas 1. p. q. 60.



*A*bsoluetur hæc quæstio tribus dubitationibus. I. Quæ sit ratio firmamenti, & aquarum quas diuidit. II. Siue firmamentum adeoque cœlum solidum, an liquidum corpus. III. An soliditati vel incorruptibilitati cœlorum obstant noua phænomena.

D V B I V M I

Quid Firmamentum; & quales sint aquæ supra & infra firmamentum.

S. Thomas 1. p. q. 68. 2. 1. 2. 3.

**F**irmamentum diuisionemque aquarum esse opus secundæ dici, extra controuersiam est, & apertè patet ex narratione Moysis Genes. 1. v. 6. 7. & 8. Ad cuius proinde operis rationem cognoscendam, imprimis opus est, ipsius firmamenti & aquarum, quas diuidit, ratione habere perspectâ. Facit autem pariter hæc quæstio non parum ad cœlorum rationem cognoscendam; tum quia ipsum firmamentum in scriptura cœli nomine appellatur; interest ergo scire, quidnam sit illud firmamentum: tum quia du. seq. ex hoc ipso etiâ nomine argumētū desumem⁹ ad soliditatē cœlorū cōprobandâ, quod argumētū supponit, firmamentū esse verum aliquod cœlum; tum quia aquæ supra cœlos non parum cum cœlo affinitatē habent, non solum ratione loci, vel etiam continentia; sed etiam quia nonnulli ex his ipsis aquis argumen-

tum sumunt, vt probent, cœlos aut liquidos esse aut ex aqua elementari productos. Sicut autem aquæ ipsæ cum firmamento coniunctionem habent, ita vicissim vnus explicatio pendet ab explicatione alterius, vt nec omnino firmamentum sine aquis, nec aquæ sine firmamento, nec sine vtriusque cœlum recte possit intelligi.

Sunt autem tam de firmamento, quam de aquis, quas firmamentum diuidit, variæ admodum Doctorum sententiæ. Et generatim quidem loquendo, tres. Prima vtrumque solum mystice explicat; aquas quidem superiores de Angelis beatis; aquas autem inferiores de malis Angelis, è cœlis in hunc turbulentum aërem deturbatis. Ita Origenes apud Epiphanium in epistola ad Ioanem Hierosolymitanū, & apud Hieronymum in

epistola.

epistola ad Pammachium, item apud Basilium hom. 3. in Genes. S. Thomam 1. p. quest. 68. a. 2. & secutus videtur olim S. Augustinus libro 13. Confes. capit. 32.

3 Secunda sententia est, quæ literalem sensum. confectando vtrumque tam firmamentum scilicet, quam aquas supra & infra firmamentum positas, de corporibus quidem, sed non vere ac proprie celestibus; aut supra sydereum cœlum constitutis, sed de sublunaribus accipit; ita vt aquæ superiores, sint vapores, ac nubes media in regione aëris pendula; aquæ inferiores, illæ quæ terris incumbunt; firmamentum autem sit, siue aër ipse nubilus & impurus, siue aër purus infimæ regionis, inter vtrasque aquas medi<sup>9</sup>. Hanc sententiam, tamen quod sciam à nullo antiquiorum Patrum asseueranter & discrete asseritam, referunt tamen velut probabilem Sanctus Augustinus libro secundo de Genes. ad litteram capite quarto, Sanctus Thomas prima p. questio, 68. articulo secundo & tertio, & Durandus in 2. dist. 14. questio. 1. Eandem recitant Eucherius, Beda, & Glossa ordinaria in Genesin: Tostatus insuper in postilla, & Vielmus lect. 14. in Genes. eandem tribuunt ex Iudæorum Rabbini Abenezræ. Ex recentioribus autem eandem sententiam constanter & fortiter tuentur Rupertus Tuitiensis libro primo de operibus Trinitatis cap. 22. Augustinus Eugubinus in Cosmopocia, Benedictus Pererius lib. 2. in Genes. c. 1. v. 6. in opere secunda diei, Gregorius de Valentia 1. p. d. 5. q. 3. pun. 2. & fauet Caietanus in Genes. ac Vielmus ibid. lect. 14.

4 Differunt tamen hi authores inter se; quia S. Thomas & Eucherius firmamentum vocant ipsum *nebulosum aerem*, seu *illam partem aeris, in qua condensantur nubes; quæ distinguit superioris aeris partem*, inquit S. Thomas a. 3. *in qua generantur pluuie, & huiusmodi impressiones, ab inferiori parte aeris quæ aqua connectitur, & sub nomine aquarum intelligitur*. Pererius autem & Gregorius de Valentia dicunt, esse *puris aerem*, secundo die ex nebulis ac nubibus productum, reque ipsa medium inter duplices illas aquas.

5 Apud Augustinum quoque, Bedam, & S. Thomam, firmamentum secundo die factum, distinguitur à firmamento, in quo Deus die quarto posuit solem, lunam & stellas. Pererius autem & Valentia ipsum hoc etiam firmamentum, diuidens aquas, extendunt vsque ad sydera, adeoque ita conantur explicare, vt includat quoque firmamentum illud sydereum, in quo Deus posuit stellas; quanquam reuera hæc inter se parum videntur coherere, vt dicitur. Firmamentum præcipuum sumitur, tum ex refutatione aliarum sententiarum; tum quia verisimile est, Moysen in explicatione Genes. populo tam rudi non aliquid obscurum & vulgo incognitum, sed quod in omnium oculis ac sensibus versaretur; vtroque tam firmamenti nomine, quam aquarum supra firmamentum existentium, voluisse designare.

6 Tertia sententia est, quæ firmamenti nomine, ipsum cœlum sydereum (vnum vel plures) per aquas autem superiores, verum aliquod corpus, supra cœlum illud existens, intelligi asserit.

Quæ sententia rursus varijs modis subdividenda est. Primo enim Augustinus libro primo de Genes. contra Manichæos c. 11. per aquas intelligit materiam, per firmamentum totum cœlum astriferum, diuidens inter materiam rerum inuisibilium atque super-cœlestium, & materiam inferiorum ac sublunarium corporum; dici autem aquas illas inuisibiles, esse supra cœlum, non tam locorum spatij, quam naturæ dignitate. Sed communiter refellitur; tum quia secundo die, non solum extabat materia rerum superiorum & inferiorum; sed ipsum etiam cœlum, terra, & omnia elementa, quoad substantiam iam erant creata, quæ proinde locum ipsum totius vniuersi occupabant, nulla materia nuda omnisque formæ experte vsquam existente, vt colligitur Genes. 1. vers. 1. & superius questio. 2. fusius probatum. Tum quia absurdum videtur, aquam vocari solam & nudam materiam primam; quam enim habet hæc cum aqua similitudinem? Tum quia ea sententia videtur supponere Angelos esse ex materia productos, adeoque corporeos, quod communitè hodie refellitur.

7 Secundo quidam per aquas superiores intelligendum esse docent nonum cœlum, quod crystallinum dicitur, per firmamentum autem, vel solam octauam sphaerâ, in qua sunt stellæ inerrantes, vt vult Catharinus comment. in Genes. vel vt alij, firmamentum vna cum subiectis ei planetarum orbibus; per aquam inferiorem, seu omnia corpora sublunaria diaphana; seu aqua ipsam elementarem sub luna vbiuis demum existentem. Ita A lensis, part. quest. 50. mem. 1. Boauentura in 2. dist. 14. Egidius 2. p. Hexameron cap. 14. item Nicolaus Lyranus, Burgensis, Tostatus, Caietanus, Clitovæus, apud Martinengum & Pererium locis citatis. Eandem refert, nec improbat S. Thomas 1. p. q. 68. art. 1. & 2. & sequitur seu ipse, seu quisquis est author postilla in Genesin, sub nomine S. Thomæ recens editæ. Huc spectat ea sententia, quam Amerus in Genesin recentioribus tribuit, per aquas superiores cœlum Crystallinum, per inferiores intelligi frigidum cœlum Saturni.

8 Tertio alij per firmamentum intelligunt totam machinam cœli syderei; per aquam autem supernam, veram aliquam & naturalem aquam, seu liquidam, seu potius instar glaciæ, vel crystalli concretam, supra cœlos sydereos existentem. Ita videntur sentire Clemens libro primo Recognitionum ex persona S. Petri, Iustinus questio. 93. Tertullianus libro de Trinitate, c. 8. Hilarius in psal. 135. Basilium in Hexameron, Ambrosius Hexameron. libro secundo cap. 3. item Hieronymus epistola ad Oceanum, Epiphanius epistola ad Ioannem Hierosolymitanum, Chryostomus hom. 4. in Gen. & hom. in Psal. 148. Cyrillus Hierosol. Catechesi 9. Augustinus quoque; inter alias sententias etiâ hanc refert, nec improbat l. 2. de Genes. ad litteram c. 4 & 5. & l. 11. de ciuit. Dei c. vlt. & enarratione in Psal. 113. item Seuerianus & Eucherius in Genes. libro 1. cap. tertio Theodoretus quæ. 11. in Genes. Damascenus lib. 2. Fid. Orthod. c. 6. & 9. Prosper in Psal. 103. Anastasius Synaita Hexameron. l. 2. & 7. Iunilius in Hexameron. Pro-

copius in Genes. cap. 1. Beda qq. in Genes. & lib. de naturis rerum capite 7. & 8. Cassiodorus in Psalm. 103. & in Psalm. 148. Haymo in eundem. Psalm. 148. Euthymius in Psalm. 103. Bruno in Psalm. 148. Rupertus libro primo in Genes. cap. 23. 24. 25. Anselmus de imagine Mundi capite 25. & 28. Hugo de S. Victore Annotationibus in Genes. c. 6. Richardus de S. Victore Except. lib. 2. cap. 7. Magister sententiarum in Psalm. 148. & in 2. dist. 14. Magister Scholasticæ Historiæ c. 4. Idem habet utraque Glossa, interlinearis scilicet & ordinaria, & dudum antea tradidit etiam Iosephus lib. 1. Antiquitat. cap. 1.

9 Ex recentioribus eandem sequuntur Hieronymus Oleaster, Annotationibus in cap. 1. Genes. Martinus Delrius ibidem, Molina de opere sex dierum disput. 10. qui expresse docet, aquas illas supernas, esse elementares, eiusdemq; rationis cum nostris aquis. Quod etiam quidam Patres antea citati indicant, præsertim cum assignato earum officio & usu, aiunt, eas vel ad temperandum ardorem sydereum, vel ad materiam generali diluuiio præstandam, vel ad rorem, pruuiam, pluuiasque subministrandas, supra cælum positas fuisse.

10 Differunt tamen hi auctores inter se, quod Iosephus, Clemens, Iunilius, Beda, Glossa interlinearis, & Magister historiæ Scholasticæ, quibus accedit Hugo Carensis in postillis in Genesin, aquas super cælum instar Crystalli vel glaciei cœretas & congelatas constituunt; qui proinde parum recedunt ab authoribus secundo loco antea commemoratis, per aquas cælum crystallinum intelligentibus.

11 Alij vero, ut Eucherius, Anselmus Cantuariensis, Hugo Victorinus, & Ascanius Martinengus tom. 1. in Genes. pag. 660. fauente etiã Augustino, aquas illas, fumi, seu vaporum modo, supra cælum existere tradunt; & utramque hanc sententiam sub distinctione habent etiam Magister sententiarum, & Magister Scholasticæ historiæ; quarum posteriorem tamen speciatim refellit S. Thomas in qq. disp. q. 4. a. 1. ad 5.

12 Alij denique aquas illas super cœlestes liquidas & fluxas esse tradunt, nostrarum instar; ita Basilius Hexæm. l. 3. Ambrosius l. 2. c. 3. Procopius in Genes. c. 1. Euthymius in Psalm. 103. Iunilius seu Beda in Hexæm. pro vna sententia.

13 Ut meam in re tam obscura & ancipiti sententiam explicem, præmittô fundamenti loco, ex ipso primo capite Genesin, vbi de hac re ex instituto agitur, duos scripturæ locos, ex quibus res hæc omnis diiudicari debet. Primus est vers. 6. vbi opus secundæ diei exponitur, his verbis: [Dixit quoq; Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum; diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Et factum est ita. Vocauit Deus firmamentum cælum: & factum est vespere & mane dies secundus.]

Alter locus est eodem capite primo Genes. versu 14. vbi de opere quartæ diei agitur: *Dixit autem Deus, sicut luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies, & annos, ut luceant in firmamento*

*cæli, & illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque DEVS duo luminaria magna, luminare maius, ut præset diei, & luminare minus, ut præset nocti, & stellas. Et posuit eas in firmamento cæli, ut lucerent super terram, & præset diei ac nocti, & diuiderent lucem & tenebras. Et vidit DEVS, quod esset bonum; Et factum est vespere & mane dies quartus. Dixit etiam DEVS; Producant aquæ reptile anime viventis, & volatile super terram, sub firmamento cæli. Pro quibus verbis hebraice legitur, *Alpene-Rakiah*; græce κατὰ τὸ ὑψίστου; quæ noster interpres (quidquid nonnulli, recentiores, p. secunda sententia relati oblitentur), recte vertit *sub firmamento cæli*; quia *Al per Aijn* apud Hebræos, non tantum significat *supra*, sed etiam *contra*; & κατὰ apud græcos non tantum significat *secundum*, sed etiam *post* seu *infra*. Idem autem est *contra faciem firmamenti*, seu, *post firmamentum*, quod *sub firmamento*.*

14 Suppono secundo; omne cælum quoad substantiam, adeoque ipsum etiam firmamenti cælum primo die fuisse creatum; neque tamen firmamenti substantiam initio statim fuisse solidam; sed primum secundo die, cum antea liquida esset, consolidatam. Primum probauimus supra quaest. 2. dub. 2. Secundum præter scripturam, de qua dub. sequent. tradunt, quam plurimi Sancti Patres; speciatim Clemens Romanus lib. 2. Recognit. ex persona Sancti Petri, Ambrosius lib. 2. Hexæmeron; capite 4. Theodoretus in Genes. quaest. 11. Cyrillus Hierosolymitanus catech. 9. Iunilius apud Lipomanum in Hexæm. Gennadius ibidem, Claudius Marius Victorinus com. in Gen. lib. 1. Anastasius Synaita comment. in Hexæm. lib. 2. Oecumenius in 2. Pet. 4. Seuerianus, Hugo Carensis, & Acatius apud Lipomanum, Anselmus Laudunensis in gloss. interlin. Anselmus Cantuariensis lib. 1. de imag. mundi cap. 25. Beda in Hexæm. ad illa verba, *Vocauitque Deus firmamentum cælum*, Hugo Victorinus annot. in Gen. c. 9. Petrus Comestor Schol. Hist. capit. 4. quorum testimonia adducemus dub. seq. in relat. 4. sent. qui omnes vnanimiter testantur, firmamentum, de quo Genes. 1. v. 6. ex aquis, quibususcunq; demum, productum & consolidatum fuisse die secundo; quam proinde tanquam comunissimam Patrum sententiam tradunt etiam Augustinus Steuchus, & Ascanius Martinengus, itidem dub. sequenti citandi. Vbi de hac re plura.

15 Suppono tertio, beatos nec habitaturos in vacuo extra cælum, etsi contrarium de Christo doceat S. Thomas in 3. p. q. 57. a. 4. nec futuros in ipso solido corpore cæli Empyreï, perpetuo miraculo corporibus se inuicem penetrantibus; sed plane habitaturos in aliquo corpore spirabili, & liquido, ad cælum Empyreï spectante; ut deserviat spirationi & respirationi, alijsq; operationibus sensu, ut in tertia parte fusiùs pbandum. Ita ex antiquioribus aperte docet Guilielmus Parisiensis part. 1. de vniuerso capit. 39. item nonnulli abf. que nomine citati apud Bedam lib. de mundi constitut. & ex recentioribus proluxe ac ex instituto noster Leonardus Lessius lib. 3. de sum. bono c. 8. à numero 98. & rursum à numero 101. & seq.

Differunt

Differunt tamen singuli hi auctores inter se; quia Guilielmus ponit liquidum illud & spirabile corpus, immediate sub cœlo Empyreæ, veluti sub tecto seu laqueari. Auctores vero illi Anonymi apud Bedam ponunt liquidum illud & spirabile corpus supra omnes cœlos, etiam supra ipsum cœlum Empyreum. Lessius autem corpus illud constituit, intra ipsum cœlum Empyreum, ut inferius dicitur. His ita positâ sententiam meam tam de firmamento, quam de supernis aquis, assertionibus sequentibus ita breuiter declaro.

16 **Assertio I.** Vtroque loco Genes. c. 1. v. 6. & 14. firmamenti nomine, vñ idemque corpus significatur. Est communissima SS. Patrū & Doctorū sententia, speciatim omnium eorum, quos iam antea pro tertia sententia citauimus; contra paucos quosdam pro secunda sententia relatos. Probat; tum quia alioquin in eodem orationis contextu, & vbi quidem rerum genera & nomina ex instituto declarantur, obscurissima & alienissima æqui-uocatio à Moysse fuisse commissâ; siquidem is sine vlla explicatione addita, in productione firmamenti aliter, quam in eius exornatione, *firmamenti* nomen accepisset. Tum quia plane absurdum est, dicere, Moysen Genes. 1. v. 14. tam luculenter egisse de ornatu firmamenti, inditis stellis & syderibus &c. de eius productione vero antea non egisse; sicut reuera non egisset, si v. 6. quo solo loco de productione firmamenti agitur, nomine firmamenti non id ipsum etiam illud corpus intellexisset, de quo v. 16. fit mentio.

17 **Assertio II.** Aquæ superiores & inferiores ad literam non significant Angelos bonos & malos; adeoque nec firmamentum inter vtraque; aquas positum significat discriminationem inter eosdem Angelos diuinitus factâ. Est communis & certa contra Origenem, in prima sententia citatū, qui idcirco reprehenditur à citatis ibidem Patribus Epiphonio, Hieronymo, Basilio, S. Thoma. Et S. Augustinus ipse, quod antea hac de re dixerat, retractat lib. 2. c. 6. Ratio est. Tum quia hæc sententia supponere videtur, Angelos esse corporeos, & aquæ cuiusdam, siue aeræ substantiæ. Tum quia hæc interpretatio ab historica relatione, eaq; ad captū simplicis populi accommodata, qualè Moyses in Genesi proficitur, est alienissima. Accedunt rationes pro præcedenti assertionem.

18 **Assertio III.** Per firmamentum intelligi non potest aer intermedius inter nubes & aquas terrestres; ac proinde nec per aquas superiores, & aquæ mediæ regionis aeris, quæ vaporibus & nubibus continentur. Est contra secundam sententiam superius relata; sed communis SS. Patrum, ut vidimus; qui omnes fere firmamenti nomine intelligunt cœlos ipsos sydereos. Ratio est, tum quia ipsum firmamenti nomen rem solidam & firmam significat, ut dictum quæst. 6. Tum quia aer vnacum cæteris elementis, in statu puro potius, quàm impuro, creatus fuit primo die, non autem primum die secundo, ut dictum quæst. 2. Tum quia Genes. 1. v. 14. astra & stellæ dicuntur posita in firmamento cœli; non sunt autem posita in aere intermedio inter nubes & aquas terrestres. Tum quia absurdum est dicere, Genes. 1. v. 6. solum

aerem infimæ, aut etiam mediæ regionis potius, quam supræ, cœlum esse appellatum, ut affirmare opus habet hæc sententia. Tum quia aer, nubilus, qui est in mediâ regione, profus non separat, aut diuidit aquas nubium ibidem existentium, ab aquis inferioribus, cum aquæ illæ ipso illo nubilo aere contineantur: aer vero hic inferior reuera non firmiter separat easdem aquas, nubibus & vaporibus contentas, ab inferioribus & terrestribus; non solum quia fluxus est, & nullo certo firmo; termino concluditur aut definitur; sed etiam quia & ipse vaporibus, qui quotidie à terra eleuantur, refertus & infectus est; & quotidie aquis illis superioribus, quæ per pluias, niues, rorem &c. ex nubibus vaporibusq; eleuatis excernuntur, peruius: quando ex ipsæ aquæ superiores in eum finem eleuantur, ut rursum per pluias, & alia meteora aquea depluant: qualis ergo hic terminus, qualis limes, quale firmamentum, est inter aquas illas nubium seu vaporum, & has inferiores, quæ terræ iam incumbunt? Accedit, quod Psal. 148. v. 4. & Daniel. 3. v. 60. aquæ sup cœlos in scriptura nūterantur inter res cœlestes, non sublunares, ut inferius assert. 10. plurib; dicitur.

Ob quas etiam causas, & spectata in primis auctoritate SS. Patrū, qui suâ doctrinâ hac in re scripturis deduxerunt, ut dictū, equidè nil dubitem, hanc assertionem certâ & exploratâ dicere. Sane Martinengus pag. 589. sententiâ oppositâ non satis tūc existimat; Molina disp. 2. dicit esse aperte falsâ: Cuius argumenta præcipue à textu græco & hebraico petita, iam satis ex dictis manent refutata notat. 1. Nec existimandū, Moysen ea solum in Genesi retulisse, quæ directe in sensum incurrunt; sic enim nullâ omnino cœlorum mentionem facere oportuisset: sed præter hæc etiâ toti mundi systema, de cuius productione agebat, saltè obiter insinuasle.

20 **Assertio IV.** Per aquas supernas non potest intelligi vaporosus aer mediæ regionis, etiam si per firmamentum non intelligatur solus aer (infimus:); sed totum spatium vsq; ad ipsa sydera inclusiue protensū. Est contra speciale modū sentiendi Pererij & Gregorij de Valentia locis citatis, qui, ut respondeant ad locum illum antea allatum, quod sydera & stellæ sint positæ in firmamento, dicunt, eo nomine consignificari totum illud spatium ad sydera vsq; extensum; cum aquas tamen superiores dici velint eas solum aquas, quæ continentur ipsis vaporibus & nubibus mediæ regionis aeris; quæ opinatio refellitur hoc argumento. Quia totum illud firmamentum, de quo Genes. 1. vers. 4. mentio est, diuidit, adeoque medium est, inter aquas superiores & inferiores, ut manifeste ex verbis Scripturæ patet. Atqui spatium illud ad sydera vsq; protensum non est mediū inter vtraque; illas aquas; sed superiores nubium aquas in se se includit, eaque insuper longissimo intervallo excedit.

21 Confirmatur vtraque conclusio ex publico Ecclesiæ hymno, qui in vesperis Feriæ secundæ canitur.

*Immensæ cæli conditor,  
Qui mista ne confunderent,  
Aque fluentia diuidens,  
Cœlum dedisti litem:  
Firmans locum cælestibus,*

*Simulque terra riuulis.  
Et unda flammis semperet,  
Terra solum ne dissipent.*

Vbi firmamentum de cælo; aquæ supernæ de cœlestibus; inferiores de terrestribus aquis explicantur.

22 **Assertio V.** Per firmamentum Moyses intellexit corpus aliquod cœleste solidum, totam terram ambiens. Ita communis sententia Patrum & Doctorum, vt partim in hac ipsa dubitatione superius, partim dub. seq. fatus dicitur; & colligitur tum ex duabus præcedentibus assertionibus; tum ex nomine & officio firmamenti, paulo superius, explicato. Bene quoad hoc Hilarius in psal. 135. *Cælum vero inferius non uniforme, sed multiplex tetendit, quod totum firmamentum nuncupans, valde ad substantiationem aquarum superiorum, temperationemque aeris nostri, firmitate solidauit.* Plura sequenti assert.

23 **Assertio VI.** Per firmamentum intellexit Moyses non solum octauam spheram (quæ nunc ab vsu quodam veteris vocabuli sola firmamentum dicitur) sed etiam omne cælum sydereum siue mobile; ipsumque cælum Empyreum, secundum partem sui infimam. Prior pars est communis SS. Patrum, & aperte patet ex scriptura Genes. 1. à versu 14. Vbi dicitur. *Fiant luminaria in firmamento cæli & diuidant diem ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies, & annos, ut luceant in firmamento cæli, & illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo luminaria magna; luminare maius, ut præset diei, & luminare minus, ut præset nocti, & stellas. Et posuit eas in firmamento cæli &c.* Quibus verbis ter repetitur, non solum stellas ceteras, sed etiam *luminare maius, & luminare minus* (quibus utique nihil aliud intelligitur, quam sol & luna) posita à Deo fuisse in firmamento cæli; non equidem in octaua sphaera; sed in corpore illo cœlesti, quod à luna vsque ad stellas fixas porrigitur, hoc iam secundo die à Deo, noua quadam soliditatis perfectione, propter bonum totius vniuersi, exornato.

24 Posterior pars, intelligi eo nomine omne cælum mobile; ipsumque cælum Empyreum, secundum partem eius infimam, tamen non ita quidem distincte assertitur à Patribus, quia non ita aperte spheram aliam solidam & corpoream sydereo cælo altiore statuerunt; est tamē ijs valde consentanea, qui nomine firmamenti vniuersim ac indefinite cœleste corpus, secundo creationis die à Deo consolidatum intellexerunt, vt ex adductis supra testimonijs est videre. Speciatim autem huc faciunt Gregorius Nyssenus, Theodoretus, & Beda, quos infra pro conclusione vndecima adducemus; qui aquas supernas supra omne cælorum corpus collocant. Optime Theodoretus in catena Lipomani lect. 4. *Quoniam quidem cælum, inquit, ex fluxa aquarum natura consistit, & quæ primo liquabilis esset natura, solidissima est effecta, ea de causa firmamentum est appellatum.* Idem aperte satis colligitur ex illo Genes. 1. v. 8. *Vocauitque Deus firmamentum cælum.* Vbi vides, firmamentum & cælum à Moysè quasi pro synonymis haberi; ita vt proprium firmamenti nomen sit cælum, cælumque ipsum sit firmamentum. Ex quo sequitur, tam late patere firmamentum,

quam cælum ipsum, saltem quousque, & in quantum solidum, & aquis supercœlestibus inferius est, quandoquidem firmamentum solam conditione soliditatis & termini aquas diuidentis, cælo, quod Deus in principio creauit, superaddit.

Idem suadet ratio. Cum enim eadem sit ratio, & natura omnium cælorum, saltem quoad hanc conditionem soliditatis; quæ, vt dictum, cœlis ipsis non per se, & ex sua natura (corporea enim quo sunt superiora, eo sunt naturâ suâ subtiliora & liquidiora; eaq; de causa cœli mobiles in fine mundi liquefcent, vt dicitur q. 4. dub. 5.) sed propter bonum vniuersi competit, vt partim sint domicilia corporum Beatorum, partim vehicula stellarum, simul & interstitia duplicis aquarum substantiæ, valde verosimile est, à Deo cœlos & sphaeras omnes ipso die creationis secundo simul fuisse consolidatos.

26 Quod adeo etiam de ipso cælo Empyreico accipiendum, præsertim cum in prima sui creatione, Dei solummodo & Angelorum sedes esset, pro quibus nulla ratio erat, cur solidum potius, quam liquidum initio crearetur. Dixi vero *ex parte*, &c, Quia inferius assert. 11. tres cœli Empyreici partes distinguemus; infimam & supremam solidas, & mediam liquidam: è quibus infima solum sub firmamento comprehenditur; vt pote quæ sola aq; supercœlestibus substat, vt dicitur cit. assert. 11. Quamquam etiam suprema, etsi nomine firmamenti non intelligatur, ex consequenti tamen recte etiam eodem secundo die cum ipso firmamento consolidata existimari potest: ob eam etiam præsertim causam, vt ne alias ex consolidatione corporis cœlestis seu firmamenti, secundo die primû facta, vacuum aliquod spatium consecuturum videatur: quod tamen etiam absque hoc, proportionata rarefactione aquarum illarum supercœlestium deuitari posset. Eadem conclusio confirmatur à simili. Quia etiam terra in principio quidem creata fuit loco & statu maxime naturali, nimirum vt eius natura priuatim poscebat, tota aquis cooperata, postea vero propter bonum vniuersi aquis nudata veterem nihilominus terræ appellationem, confirmato quasi iure, à Deo consecuta est. Plura assert. 7. & 10.

27 **Assertio VII.** Per aquas superiores non intelligitur cælum crystallinum, seu cælum aliquod solidum stellarum experts. Ita communis sententia Patrum; nisi quis putet, ex eorum mète, ipsas aquas instar glaciei seu crystalli supra firmamentum concretas, crystallinum cælum esse appellandum. Probatur conclusio satis aperte iuxta ea, quæ diximus, ex scriptura. Tum quia cælum omne solidum intelligitur nomine firmamenti, diuidentis aquas ab aquis, vt conclus. præced. dixim⁹. Tum quia nulla ratio est, cur opus fuerit interstitio medio firmamenti, diuidente aquas superiores ab inferioribus, si aquæ superiores sint cælum aliquod solidum. Hoc enim satis per se iam firmiter ab aquis inferioribus separatû erat. Tum quia aquæ super cælos in scriptura opponuntur cælis, non minus, quam firmamento, quod cæli nomen accepit. Deniq; non satis adhuc certum est, vt dicitur q. 10. an detur huiusmodi cælum crystallinum. Plura assert. 10. & 11.

28 Assertio VIII. Per aquas superiores, supra firmamentum illud existentes, non intelliguntur aquae elementares eiusdem rationis & speciei cum nostris; nec liquidae, nec concretæ. Hæc est sententia S. Thomæ in 2. d. 14. & 1. p. q. 68. art. 3. ad 1. & communis Scholasticorum speciatim Alenfis, Bonaventuræ, Alberti, Petri de Tarantasia, Durandi, Scoti; quorum verba refert Dionysius Carthusianus in 2. dub. 14. quæstione prima, licet ab eis ille videatur dissentire. Idem aperte docet Guilielmus Parisiensis loco citato in tertia notatione.

29 Nec ei admodum repugnant SS. Patres. Tunc quia tamen nonnunquam eo nomine aquas veras & naturales interpretentur; non tamen satis explicant, an eiusdem rationis & speciei aquas, cum nostris elementaribus intelligant; siquidem veras & naturales dicere potuerunt, quia reuera sunt corpus quoddam naturale, perspicuum, & forte etiam liquidum, atque ad totius vniuersi naturam pertinens. Quo sensu etiam ex citatis Scholasticis quidam eas vocant, *veras aquas*; cum tamen interim expresse doceant, esse diuersæ rationis: imo Tarantasius apud Carthusianum 2. d. 14. quæstio 1. addit, esse *virtualiter frigidas, & positas ad temperandum in inferioribus effectum ardoris corporum superiorum*: & tamen aperte simul negat, esse elementares. Tum quia licet subinde per modum disputationis supponere videantur, eas aquas esse similes nostræ elementari aquæ, non tamen id pro certo habent, imo aperte nonnunquam de ratione illarum aquarum dubitant, ut videre est apud Augustinum lib. 2. de Genes. ad lit. capit. 5. Tum quia nullum erant fundamentum in scriptura, qua tamen hac in re Patres vnicè nitentur, cur aquas eiusdem speciei eum nostris supra cælos constituerent.

30 Denique non sunt ex Patribus, qui aperte docent, aquas illas superiores esse diuersæ rationis & naturæ ab aquis elementaribus. Id enim supponit August. lib. 1. de Gen. cont. Manich. c. 11. itemq; veluti certum sæpius repetit Greg. Nyssenus in Hexæm. ubi ait: *Quæ si recte considerata sunt, aqua profecto, super qua ferebatur spiritus Dei, diuersa est ab istarum aquarum natura, quæ deorsum fluunt, & firmamento ab aqua graui, & ad inferiora tendente se iungitur*. Et infra: *Aquarum vero separationem inquit, per firmamentum consecutam, dicens, a scriptura nihil absurdum, aut à nominis significatione alienum mihi facere videor, si discrimen inter earum naturas intelligam, atque unum genus illarum sursum tendere, nihil grauitatis habere, & ignem leuitate superare mihi persuadeam, adeo ut supra naturam calidam manens, illius subiectæ nec motu conuellatur, nec ardore in diuersum ordinem commutetur, sed igni subsercurrenti nullum ad se accessum præbens, integrum maneat*. Et paulo post. *At quæ illic aqua dicitur, cum nec videatur, nec fluat; nec ullis prorsus eiusmodi terminis coercetur, quibus natura humida continentur, sed extra locum sit, & expers omnium qualitarum, quæ sub sensum cadunt; super ipsa feratur spiritus Dei, & supra cælos esse credatur, & omnibus, quæ sensu cognoscuntur, superior sit, qui non à comuni aqua diuersam putet, naturamq; sensibus non obnoxiam, sed animo ac mente solum comprehensam existimet,*

inter eos, qui iudicare possunt, arbitor esse neminem. Ita Nyssenus: quicquid interim de vera ac propria ratione eiusmodi aquarum, ipsiusque firmamenti senserit.

Ratio conclusionis est; Primum, quia aquæ eiusmodi elementares, & contra naturam suam, & frustra ac sine vlllo vsu, supra cælos essent collocatæ; imo quisquis earum vsus à quibusdam est assignatus, ut superius retulimus, absurdus est, & iuxta naturas rerum impossibilis; ut recte etiam persequitur Parisiensis, & facile ex dictis colligere licet. Nec satis est dicere, multa etiã alia in ipsis terris ignorari &c. Nam aliud est rerum aliarum naturam ac vsum determinate non sciri; aliud nec sub disunctione quidem assignari excogitariq; vllum tanti corporis, & toties in scriptura celebrati, vsum posse, qui possibilis, & rerum naturis conueniens sit.

Accedit, quod plane indecorum, & contra decentem totius vniuersi dispositionem & harmoniam esse videtur, ut incorruptibilis cæli substantia dicatur intercepta, aut cooperta aquis corruptibilibus, & sua natura obnoxijis perpetuæ resolutioni. Quam rationem optime etiam attingit S. Bonaventura cit. 2. dist. 14. *Quia credendum est, inquit, sapientissimū mundi artificem corpora mundi optimo ordine collocasse; nec solum considerasse finis utilitatem, sed & perfectionis dignitatem, non apparet, quod verum aqua elementum supra firmamentum locauerit.*

Obijcitur præcipue, hæc ratione fatendum, inopportunam admodum commissam fuisse æquiuocationem à Moysè, dum in secundum hanc sententiam, in breuissima narratione, tripliciter variauit significationem huius vocis *Aqua*. Etenim, inquit, cum primo dixit Moyses, *Et spiritus Domini ferebatur super aquas*, isti per aquas exponunt materiam primam, vel corpulentam aliquam massam; (seu potius, ut ego existimo, totam, quæ in mundo erat, substantiam diaphanam & liquidam;) cum autem postea subiungit, *Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidas aquas ab aquis*, per aquas superiores interpretatur nomen cælum (nos substantiam celestem liquidam & diaphanam, omnibus cælis superiorem, ut dicemus;) cum vero Moyses tertio loco dixit, *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum unum*, isti nomine aquarum verum aquæ elementum intelligendum esse censent.

Respondeo I. ex nostra sententia nullam in his verbis fore æquiuocationem, si iuxta S. Thomam 1. p. q. 68. a. 3. corp. & ad 3. his omnibus locis per aquas generatim & directe significetur corpus aliquod simplex diaphanum, (addo ego) liquidum; qui significatus per varijs circūstantijs locorū varijs ac diuersis corporibus in particulari applicetur.

Respondetur 2. æquiuocationem tunc esse reprehensione dignam, si nomen æquiuoce vsurpetur, absq; sufficiens declaratione, e qua varia eius nominis significatio intelligitur; quod in proposito non accidit. Nam in primo loco, cum nulla adhuc aquarum discretio facta esset, recte generatim aquarum nomine intelligitur omne corpus simplex diaphanum liquidum. In secundo loco, quia iam ipsæ aquæ superiores & inferiores, à Moysè distinguuntur, recte nos ipsi

etiam.

etiam superiorum aquarum naturam ab inferiorum distinguere possumus; non enim sine causa tanto intervallo, tantiq; interstitij interpositione separantur. Et quia tertio loco rursum non de aquis generatim, sed definite ac determinate de aquis inferioribus totam terram obtegentibus sermo est, recte rursum restrictiori significatu vocabulum aqua, pro solo elemento aqua terram vndique circumfluente accipitur.

35 Accedit, quod nonnulla eiusmodi varietas, & diuersa acceptio *Aquae* ab omnib; & in omni sententia admitti debet. Qui enim firmamentum dicit esse aërem, per aquas superiores intelligere debet sphaeram mediae regionis aëris, in qua non tantum sunt vapores, sed etiã nubes & exhalationes essentialiter ab aqua elementari distinctae; cum tamen per aquas inferiores intelligantur solas elementares, easq; liquidas & fluentes. Qui vero per firmamentum intelligunt caelum consolidatum, etiam si aquas veras elementares supra caelum constituent, tamẽ quia sub caelo immediate non sunt verae aquae elementares, sed vel ignis, vel purus & liquidus aër, quæ negare non possunt firmamento diuidi ab aquis superioribus, nomine aquarum inferiorum, non solum elementares aquas, sed totã substantiã elementarem liquidam & diaphanam accipere debent.

36 Denique qualis qualis sit illa in aqua vocabulo æquiuocatio, multo sane ea tolerabilior est, quam illa, quæ ab opposita sententiæ authoribus duplex alia multo durior admittitur æquiuocatio in vocabulis *caeli* & *firmamenti*: quando Genes. 1. v. 1. *caelum* vel pro solo empyreo accipiunt, & v. 8. pro reliquis caelis; aut v. 1. pro caelis omnibus, v. 4. pro aëre: item quando *firmamentum* v. 6. 7. & 8. interpretantur aërem; infra autẽ v. 14. 15. & 17. *caelum* sycereum.

37 Obijcitur secundo, in citato hymno *Immensæ*, etc: verbis illis; *Qui mixta ne confunderent* etc. significari, utrasque aquas alioqui potuisset confundi; si firmamentum non interponeretur: ac proinde fuisse eiusdem naturæ. Respondeo negando vltimam consequentiam; quia confusio illa consistit in permixtione locali, qualis sane fieri potuisset saltẽ ab extrinseco, ea autẽ permixtio nulla posset dici confusio, si eiusdẽ naturæ essent aquae.

38 Assertio IX. Per aquas inferiores, quas à superioribus diuidit firmamentum, recte intelligitur, siue ipsum elementum aqua terræ circumfusum, siue potius generatim omne corpus simplex diaphanum sublunare, hoc est, inter caelum lunæ & terrã interiectum. Colligitur vterq; hic explicandi modus ex SS. PP. locis citatis & S. Thoma 1. p. q. 68. a. 3. Ratio est, quia utraq; ista corpora existunt & continentur sub firmamento superius declarato, illud quidẽ mediate, hoc vero (quod in hac re momenti plurimum habet) immediate; & neutrum per se absq; firmamento solide, & constanter determinatur ab aquis superioribus. Nec absurdum est, his locis nomẽ aqua paulo laxius sumere: quia ut recte notauit S. Thomas ibid. ad 3. *Moses propter invisibilitatem aëris, & similibus corporum; omnia huiusmodi corpora sub aqua nomine comprehendit.*

39 Assertio X. Per aquas superiores probabilissime intelligitur corpus caeleste simplex, diapha-

num, liquidum, & spirabile, beatorum habitationi destinatum. Hæc est expressa sententia Guilielmi Parisiensis, grauis & antiqui Theologi part. 1. de vniuerso c. 39. vbi cum optimis rationib; plane ex Peripateticæ Philosophiæ ductu, refutasset eorum sententiam, qui dicebant olim, aquas supra caelum fuisse positas, vel ad temperandum calorem sycereum, caelumq; ipsum ab incorruptione seruandum, vel ad vniuersalis diluuij materiã subministrandã, vel ad pluias effundendas; subiungit ipse ea de re suam sententiã his verbis: [Reuertar igitur, inquit, ad id, in quo eram, & dicã, quoniam aquae, quæ super caelos nouem sunt, non sunt ibi in forma aquarum, quæ apud nos sunt; sed ex eis regio illa, quæ caelo Empyreo circumtegitur, sic facta est, vt sit amœna & salubris, & per omnem modum apta habitatio glorificandis hominibus, conueniensq; vitæ, immortalitati, & impassibilitati eorundẽ; sic quibusdã forte videatur. Tu enim non ignoras, quod pisces in aquis viuunt, & in aëre viuere nõ possunt, sed in aqua est vita eorũ atq; saluatio. E contrario autem se habet in hominibus, qui non possunt viuere in aquis, sed in aëre solummodo. Sic necesse est regionẽ superiorũ aquarum sic pparatam esse & aptatam, prout requirit salubritas immortalitatis, & incorruptionis futuræ post resurrectionem mortuorũ. Conuenientius enim videtur, vt sit regio illa, siue habitatio hominum, beatitudinis illa futura glorificandorum, quam ipsa substantia caeli Empyrei, vt quidam forsitan opinantur: enim soliditatis est caelum Empyreum, vt spirationi & respirationi deseruire non possit. Quare si spirabitur, & respirabitur in illa vita beatitudinis, ab hominibus, habitatio illa inter caelum nonum & Empyreum, sola conueniens videtur statui beatitudinis illius. Amplius. Pulchritudo illa & splendor Empyrei caeli magis digna est conspici, quam calcari. Super Empyreum autẽ caelum non est locus; & propter hoc neq; habitatio. Amplius. Cum caelum illud rectum sit totius mundi, non conuenit, vt subsit pedibus habitantium; imo potius debet patere aspectibus eorum; & supereminere capitibus. Quare manifestum est, aquas illas vel iam versas esse in corpus quale dixi, vel saltẽ eo tempore vertendas, quo homines beatificandi in sublime beatitudinis transferendi sunt.] Ita Guilielmus.

Eiusdem sententiæ videntur esse quidã Anonymi, quos refert Beda lib. de mundi cõstitutione, vbi de aquis supercaelestibus agens ait: *Super has (aquas supernas intelligit) spirituales cali sunt, in quibus Angelicae virtutes continentur; secundum alios, nihil nisi mane.* Qui cum dicunt, super aquas supernas nihil esse, nisi inane, necessario videntur sentire, aquas supernas habitationi beatorum esse destinatas; non solum quia nulla alioqui ratio esse potuit, aquas collocandi supra omnes caelos; sed etiam, quia omnium Theologorum sententia, locus beatorum est supremus, saltem ex suo genere; & ratione suæ partis supremæ.

40 Consonat etiam scriptura, quæ sepius vbi de beatorum habitatione agit, aquarum meminit. Apocal. 7. v. 17. *Agnus qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vasa fontes aquarum.* Apoc. 21. v. 6. 7. *Ego sitienti dabo de fonte aqua vitæ gratis. Qui vi-*

cerit possidebit haec, Apoc. 2. v. 1. Et ostendit mihi sicut  
 aqua vitae splendidum tanquam crystallum; proceden-  
 tem de sede Dei & Agni. Ibid. v. 7. Qui sitit, veniat,  
 & qui vult; accipiat aquam vitae gratis. Deniq; A-  
 pocal. 4. v. 6. dicitur: Et in conspectu sedis tanquam ma-  
 re vitreum simile crystallo: quod ad caeleste corpus  
 pertinere, existimat etiam Emmanuel Sa.

42 Probatur haec sententia optima ratione ex di-  
 ctis. Si enim reuera pro beatorum habitatione,  
 datur corpus eiusmodi diaphanum liquidum, &  
 spirabile, ingentibus spatijs supra caelos vndique  
 diffusum, idq; ipsum corpus, iuxta ipsi<sup>9</sup> Scripturę  
 phrasin, adeoq; accomodate ad modum loquen-  
 di Scripturę, recte vocari potest Aqua, tunc pla-  
 ne fatendū est, aquas illas supnas esse idipsū cor-  
 pus diaphanū, liquidū & spirabile, beatorū habi-  
 tationi destinātū: sed verum est antecedens quoad  
 vtramque partem: Ergo & consequens. Maior  
 patet.

43 Minor quoad priorem partem patet ex  
 suppositione, siue ratione tertia, superius pra-  
 missa; partim probatur optimis rationibus ex  
 Guilielmo Parisiensī loco antea allegato; reuera  
 enim absq; eo corpore, in beatis nec respiratio,  
 nec locutio, neq; etiam auditus vlla sensatio; imo  
 nec locatio, siue motus localis, naturis rerū con-  
 ueniēter, ac sine ppetuis plurimisq; miraculis esse  
 posset; vt plurib<sup>9</sup> psequitur Lessi<sup>9</sup> loco ibid. cit.  
 siue iuxta S. Thomam beati cum Christo in vacuo  
 supra totū cœlū Empyreū constituantur; siue in-  
 tra ipsū solidū cœli Empyreī corp<sup>9</sup>, mutua ac per-  
 petua corporū penetratione. Et quid, obsecro, in  
 illo vacuo & obscuro loco faceret corp<sup>9</sup> Christi,  
 aut beati, quod extra vnicā pedū soleā, nihil placē  
 circa se, & extra se, lucis aut amēnitatis haberet?

44 Altera pars minoris patet ex dictis superi<sup>9</sup> assert.  
 8. 9. & 10. vbi pbauimus, iuxta Moysis descripti-  
 onem Gen. 1. aquas non accipi determinate, pro  
 sola Elementari aqua; sed multo latius saepe, pro  
 corpore simplici, diaphano, & liquido. Id quod  
 paulo antea etiā diserte affirmantē audiuimus S.  
 Thomā 1. p. q. 68. a. 3. ad 3. vbi ait: *Moses propter  
 inuisibilitatē aeris, & similitū corporū, omnia huius mo-  
 di corpora, sub aquae nomine comprehendit.* Et confirma-  
 tur assertio ex refutatione aliarū sententiarum, de  
 aquis illis sup̄caelestibus, vt ex dictis liquet. Est  
 ergo assertio haec admodum probabilis; neq; scio,  
 quid de aquis illis supernis verius dici possit; vbi-  
 cunque demum illae constituantur; de quo mox  
 iam agetur.

45 Assertio XI. Corpus illud diaphanum, liqui-  
 dum & spirabile; habitationi beatorum destinātū  
 (quod assert. praec. aquas sup̄caelestes esse dixim<sup>9</sup>)  
 non est sub cœlo Empyreō, seu infra cœlū Empy-  
 reū; nec omnino supra totū cœlū Empyreū;  
 sed in medio cœli Empyreī. Haec assertio tota,  
 quod ad rem ipsam attinet; & abstrahendo à no-  
 mine Aquarum, est Leonardi Lessij cit. lib. 3. de  
 summo bono c. 8. vbi docet, cœlum Empyreū  
 in tres partes esse diuisum; supremam veluti te-  
 ctum; mediam; quam pprie inhabitaturi sint bea-  
 ti; & infimam, veluti pavimentum; ex his supre-  
 mam & infimam esse solidam; mediam, liquidum  
 diaphanum & spirabile corpus, vti diximus: ad-

ditq; distantiam seu spatium, quod sp̄abile illud  
 corpus inter vtrūq; terminum occupat; pbabi-  
 liter fore longe maius, quam sit intervallū inter  
 superficiem terrae, & cœlum lunae, quod Astrono-  
 mi statuunt esse plusquā centum & sedecim millia-  
 um milliariū: maxime cum sp̄situdini sphaerę  
 octauę tribuant centum octoginta miliones mil-  
 liarum. Quod verissimum puto. Imo ob hanc ip-  
 sam causam existimo, distantiam illam intra su-  
 periores & inferiores partem cœli Empyreī,  
 sp̄situdinem seu crassitiem totam totius globi e-  
 lementaris ad concavū lunę vndiq; protensi, lon-  
 ge excedere. Alioquin enim aut cœlum Empyre-  
 um cum alijs cœlis; aut sedes seu habitatio illa  
 beatorum (in qua iuxta S. Thomam 3. p. q. 57.  
 a. 4. & comunem Doctorū, erit distinctio loco-  
 rum secundum altitudinem, pro diuersa beato-  
 rum perfectione) cum cœlo Empyreō, non ha-  
 beret debitam proportionem. Neque enim in  
 Augusto palatio decet, vt locus habitationi de-  
 stinatus, varijsq; quasi contignationibus inter-  
 finctus, angustius spatium occupet quā tectum,  
 aut pavimentum, seu fundamentum.

46 Quo posito, prior assertionis pars, contra  
 Guilielmum Parisiensem, precedenti assertioni  
 relatum, probatur. Tum quia secundum scriptu-  
 ram, SS. Patres, & comunem fidelium sensum bea-  
 ti habitabunt in ipso cœlo Empyreō, aut certe su-  
 pra id cœlum, non infra cœlum. Tum quia tidi-  
 culum videtur existimare, corpus cœli Empyreī  
 nobilius esse, ac dignius, quam vt pedibus bea-  
 torum corporum teratur. Quo sensu etiam Dio-  
 nyfius Carthusianus in 2. dist. 14. q. 1. opinionem  
 illam Guilielmi vocat *ineptam, & quae diffinet à com-  
 muni doctrina sanctorum.* Accedit, quod scriptura  
 absolute pronuntiat, aquas illas esse supra caelos,  
 vt mox dicitur.

47 Secunda pars assertionis contra Anonymos ap-  
 pud Bedam loc. cit. assert. praeced. probatur &  
 declaratur. Quia tametsi opposita haec sententia  
 nihil absurdum, aut à scripturis, Sanctisue Patri-  
 bus alienum tradere; imo & S. Thomę sententię,  
 cit. p. 3. q. 37. Christum supra omnes caelos, ac  
 supra ipsum quoque cœlum Empyreum consti-  
 tuentis; atque ex parte ipsi<sup>9</sup> etiam scriptura, non  
 parum consonare videatur, absolute pronunti-  
 anti, aquas illas supra caelos esse, vt mox dicitur;  
 tamen non probatur: non solum quia noua est;  
 sed etiam quia minus consentaneum videtur ra-  
 tionī, vt omnis natura rerum, ac praecipue  
 domus illa Domini, quasi tecti expers, nullo  
 solido & constanti termino circumscibatur.  
 Accedit, quod sedes Dei & beatorum in scriptu-  
 ra, & apud SS. Patres frequētius in ipsis caelis  
 collocatur; tametsi Christus *super omnes caelos ascen-  
 disse* dicitur Ephes. 4. v. 10. per synecdochen, quia  
 super caelos omnes, & ex parte etiam *super Empyre-  
 um ascendit.*

48 Tertia pars sequitur partim ex ijs, quae dicta  
 sunt pro duabus partibus praecedentibus; partim  
 ex assert. 5. Sicut enim ibidem diximus, per-  
 firmamentum intelligi totum corpus caeleste  
 solidum (quam soliditatem, supposita iam  
 antea ipsius cœli substantia, secundo primū  
 die

die accepit, vt in prima & secunda notatione dictum) adeoque cælum etiam Empyreum, non quidem adæquate sumptum, sed solum secundum infimam sui partem; ita nunc quoque dicimus, liquidam illam & spirabilem substantiam, habitationi beatorum destinata, quam nomine aquarum supercoelestium intelligi diximus, nec infra, nec plane supra cælum Empyreum esse; sed medium eius spatium occupare: quo fit, vt firmamentum eadem aquas immediate diuidat & seingat ab aquis inferioribus siue sublunariis.

49 Quæ doctrina vterius etiam probatur; primo ex Scriptura. Tum quia hæc absolute pronuntiat, aquas illas esse supra firmamentum, Genes. 1. versu 7. est autem firmamentum secundum substantiam idem quod cælum ibidem versu 8. Tum quia Daniel, 3. versu 60. Scriptura absolute vocat aquas, quæ super caelos sunt. Quo spectat etiam illud Psalm. 103. versu 3. *Exstendens cælum sicut pellem: qui regis aquas superiora eius.* Vbi absolute cælum aquis coopertum dicitur. Tum quia Psalm. 148. versu 4. Aquæ illæ coniunguntur cum ipsis cælis caelorum; quo nomine vtiq; cælum supremum imprimis intelligitur. Ita enim dicitur; *Laudate eum cæli caelorum; & aquæ omnes quæ super caelos sunt; laudent nomen Domini.*

50 Secundo probatur eadem doctrina ex SS. Patribus. Id enim plane indicat Gregorius Nyssenus in Hexaem. cum ait: [Postquam autem vna (aqua) ab altera separatae sunt; tum ea, quæ videtur; tum illæ, quæ cogitatione percipiuntur, ac medius terminus duplicis aquarum naturæ designatum est cælum, quod in principio quidem, vna cum terra, atque omnibus, quæ ad fabricationem mundi congesta sunt, factum esse dicitur; nunc vero perfectum pariter & nominatum est, in ea, quæ postea accidit, creatione firmamenti, quod p ambitum ignis definitum & determinatum est, &c.] Vide etiam locum eiusdem superius assert. 8. citatum. Certe in vtroq; assertit, aquas illas super caelos esse, etiam supra illud, quod Deus in principio creauit Genes. 1. v. 1. quodq; omnium sententia, aut est ipsum cælum Empyreum, siue supremum, aut illud certe etiam includit.

51 Idem significat Theodoretus comment. epist. ad Hebraeos c. 9. vbi ait: *Hæc enim cælum, est quidem nostrum cæli; potestatibus autem, quæ sub aspectu non cadunt, est loco solius firmamenti; vtiq; nihilominus aliquo corpore perspicuo, liquido, & spirabili desuper incumbente, vt supra dictum.*

Sed & Beda etiam non solum lib. de mundi constitutione, inter varias sententias, de aquis supercoelestibus, etiam hanc, & quidem postremo loco refert, nec rejicit, quæ dicit, supra aquas illas nihil esse, nisi inane, vt dictum assert. præced. sed etiam in lib. de naturis rerum capite 8. disertè assertit, aquas illas esse corporum omnium supremum: [Aquas, inquit, super firmamentum positas, cælis quidem spiritualibus humiliores, sed tamē omni creatura corporali superiores, quidā ad inundationē diluuij seruatas; alij vero facti ad ignem sydereū temperandū suspensas affirmant.]

Quæ omnia iuxta modum & sensum assertionis positæ accipienda sunt; etsi quod hic auctor simul indicat, cælum Empyreum non esse creaturam corporalem; superius q. 2. dub. 4. improbatum, vel potius explicatum est.

Denique modus & tempus productionis eardem aquarum facile etiam ex dictis colligitur. Cum enim corpus cœleste secundo primum die, propter bonum vniuersi fuerit consolidatum, & ex ipsis aquis cœlestibus, pingentia spatia, ab ignis & elementorum regione sursum diffusis, quasi compactum, vt notat. 2. dictum; nec tamen omnis illa materia liquida cœlestis corporis in firmamenti consolidatione insumpta fuerit; idcirco pars illa eiusdem corporis cœlestis, quæ robor & soliditate firmamenti non accepit, suam naturalem conditionem, nomenque aquarum superiorum retinuit: cum quæ ne vlla vi aut ratione, halitus elementares, aut vlla omnino substantia elementaris, quantumuis ad summam vsq; subtilitatem perducta permisceri posset, optima ratione aqua illa cœlestis firmamento velut solidissimo quodam interstitio, ab aquis & elementis omnibus inferioribus fuit separata: præterquam quod firmamenti consolidandi, aquarumque supercoelestium etiam plures alia fuerunt causæ, vt dictum notat. 2. & 3.

#### D V B I V M II.

*Sitne firmamentum, adeoq; cælum corpus liquidum & molle; an potius solidum ac durum?*

S. Thom. 1. p. q. 68. a. 1. 2. 3. 4.

51 Spectat hæc dubitatio tum ad rationem ipsi firmamenti, quod secundi diei opus esse dub. præcedenti ostendimus, tum etiā ad reliquorum caelorum naturam melius cognoscendam. Etenim probatum quidem est hæcenus quæst. præc. cælum esse corpus inanimatū, & natura sua incorruptibile; an vero sit solidum, an liquidum, cum hodie quidem vel maxime contouertatur, ex dictis tamen decidi non potest. Vti enim fieri potest, vt corpus solidum atque etiam elementare & diaphanū sit corruptibile; vt videre est in glacie, vitro, crystallo, adamante &c. ita fieri è contrario potest, vt corpus liquidum sit natura sua incorruptibile, vt rei pla, cælum in principio creatum, quæuis natura sua incorruptibile, tamen ex ea saltem parte, quæ postea firmamento constituendo materiam præbuit, liquidum initio fuisse, & ex scriptura deducitur, & ex dictis colligitur, ac magis patebit inferius.

2 Neque est hic quæstio de cælo aëreo, quod ipso sensu & experientia constat liquidum esse; neq; de cælo Empyreo, alioue quocunq; supremo, (si quod aliud est) velim hic multis speciatim & ex instituto disputare, cum Scriptura vix quidquam; Sancti Patres non nisi raro de eo ad præfens institutum videantur differere; nec de illo etiam proprie, sit inter Scriptores hodie contouertia; sed de cælo solum sydereo, quod

in scriptura firmamentum dici Gen. 1. v. 17. hoc loco supponimus, controversia est. Id vero non esse diuersum ab eo, quod Genes. 1. versu 8. itidem firmamentū dicitur, dub. præc. demonstrauimus. Interim ne in æquiuoco laboremus, Doctores in hac quæstio. ita partē in utramq; citabimus, ut siue cælum ac firmamentum faciant liquidum, siue solidum, non nisi de cælo sydereo locutos esse manifeste constet.

3 Sunt autē in hac quæstione quatuor vniuersim Patrum ac Doctōrū, Philosophorumq; sententiæ. Prima cælum sydereum simpliciter & absolute facit liquidum, in quo proinde astra velut aues in aere libere moueantur. Ita Philosophi, ac scriptores quidam veteres, apud Aristotelem libro secundo de cælo, à textu 43. & apud Ciceronem lib. 2. de Natura Deorum; idque ipsum sensisse veteres Hebræorum Rabbinos, testatur Iacobus Naclantus in sua medulla. Idem docet Seneca lib. 7. nat. quæst. & refertur etiam Plato in Timæo; sed qui circulos tamen solidos cælis tribuit: *Creator*, inquit, *circulum cali in circulos duos reflexit; puta aplanes & planes* (hoc est, errantem, & non errantem) *circulum quoque planes diuisit in circulos septem.* Eandem cali liquiditatem tuentur Tycho Brahe locis superius citatis quæst. 3. & alij nonnulli Mathematici recentiores; moti præcipue nouis cælorum phenomēnis, de quibus quæst. seq.

4 Idem senserunt nonnulli etiam SS. Patres, qui dum negant, cælum vna cum astris moueri, videntur planē ipsum etiam sydereum cælum, seu firmamentum liquidum existimasse. In his Iustino ad quæst. 39. Orthodoxorum: *Qui sit*, inquit, *ut ij qui hac dicunt, vere dicant; cum astra non in cælo, sed infra cælum ferantur? si ea in cælo esse dicimus, quomodo vim actionemque mouendi habent, cum caeleste corpus sit immobile? si vero vna cum cælo astra mouentur, quid causa est, quin fabula vera sit, quæ cælum sphericum appellat? Vbi tamen vides, quousq; huius sententiæ præiudicio progressus fuerit vir alioqui doctissim⁹, nimirum ut & astra in cælo moueri negaret, & cælum sphericum esse, fabulam existimaret, quod postremum etiam in pluribus alijs Patribus inferius adducendis obseruare licet.*

5 Cum Iustino sensit Eusebius Emislen⁹ in catena Lipomani in cap. 1. Gen. de opere quarti diei. *Queritur*, inquit, *utrum luminaria ac stelle infra cælum distantia cursum peragant, an calofixa sint, an veluti viatores in calouer faciant? Ac si quidem dixerint, infra cælum currere, audiant Homerum, apud quem sol è stuentis Oceani ad medium cælum ascendit, dein de cursu confecto occidit: Neque item calo fixa dici possunt; ea enim ratione alterum altero velocius non esset, quod tamen adeo perspicuum est, ut negari non possit. Sacra ergo ac diuina scriptura testatur, cælum firmum atque immobile esse, solem vero ac lunam in cælo moueri, ac cursum suum peragere. Nam in Iosue dictum est; sol & luna steterunt; non ait, cælum mouens lunam, aut solem, steterunt. Item ab Ezechia dictum est, sol retrocedat; non ait, cælum mouens solem retrocedat.*

6 Et clarius Gregorius Nyssen⁹ in Hexaem. [Sed ad continuationem, inquit, commentatio-

nis, & explicationis rursus progrediamur, quomodo posteaquam ignis supremum sensibilis naturæ terminū semel ambiuisset ac lustrasset, consequenter firmamentum factum sit, quod confinium superarum ac inferarum aquarū esse dicit. Nam ego corpus quidem densum & spissum, solidum, resistens, ac durum, siue ex quatuor illis vnum; siue etiam aliquod aliud præter hæc, quemadmodum externis Philosophis visum est, nolum circa firmamentum arbitror spectari; sed extremitatem sensibilis naturæ, quam natura ignis irrequieta semperq; se mouēte vi illustrat & ambit, eam à scriptura firmamentum dici; comparatione sempiternæ, incorporeæ, tactumq; effugientis proprietatis. Quis enim ignorat, quod quidquid solidum ac firmum est, per quamdam duriciem profus densatum & consolidatum sit; atque quod densum & durum est, à qualitate ponderis & grauitatis vacuū ac purū non est. Quod autem graue est, ad supera ferri natura non potest. Atqui super omnem sensibilem creaturam firmamentū est. Non igitur aliquid crassum & corporeum circa ipsum putare esse consequentia sermonis dat, sed ut dictum est, comparatione cum eo, quod cogitatione & mente percipitur, & incorporeum est, quidquid sensibilis generis est solidum dicitur, etiam si naturali tenuitate effugiat animaduersionem & visum. Quocirca consequenter quidquid ambitu ignis comprehensum est, (Comprehensa autem extrema ora materialis naturæ, quæ semel proprio quodam termino circumscripta est) Firmamentum quidem, propter materialem naturam, comparatione superiorum appellatum est; cælum autem ei impositum est nomen, quemadmodum etiam luci nomen dici, item tenebris noctis nomen impositum.

7 Adhæc Chrysostrōmus stellas item solem, non cælum moueri asserens, homil. 6. in Genes. *Posuit illas* (stellas inquit) *in firmamento cali. Quid est posuit? nunquid quasi diceret aliquis, fixit? Absit; videmus enim ipsas vnicuique temporis momento magnum transire spatium, & nunquam in vno loco stare, sed suum quem illis Dominus præcepit cursum perficere. Et homil. 14. in epist. ad Hebræos: Quod fixit DEVS, & non homo; vbi sunt qui dicunt moueri cælum? vbi sunt, qui pronunciant id esse sphericum? Vtraque enim hæc sunt ablata. Et homil. 12. ad populum Antiochenum: DEVS mundum effecit, neque totum immobilem dimittens, neque totum iubens moueri; sed cælum quidem immortum permansit sicut Propheta inquit; Qui statuit cælum tanquam testudinis, & extendit ipsum tanquam tentorium super terram. Sol vero cum reliquis sideribus quorundam circūuoluntur.*

8 Item Lactantius lib. 3. de falsa sapientia capite 24. cum Antipodas cælumque sphericum negat, ita contra Philosophos disserit: [Quæ igitur illos ad Antipodas ratio perduxit? Videbant syderū cursu in occasum meantiū, solē atq; lunā in eandē partē semper occidere, atq; oriri semper ab eadē. Cum autem non perspicerent, quæ machinatio cursu eorū temparet, nec quomodo ab occasu ad orientē remearent, cælū autē ipsum in

omnes partes putarent esse de uxum, quod sic videri propter immensam latitudinem necesse est, existimauerunt, rotundum esse mundum, sicut pilam; & ex motu syderum opinati sunt cœlum volui; sic astra solemque, cum occiderint, volubilitate ipsa mundi ad ortum referri. Itaque æthereos orbis fabricati sunt, quasi ad figuram mundi, eosque cœlarunt portentosis quibusdam simulachris, quæ astra esse dicerent.]

Idem significat Procopius in Genes. c. 2. *Quæstio nunc uisitur*, inquit, *an illa luminaria cœlo fixa circumstantur; vel cœlo stabili & immobili manente, suas reuolutiones absoluant &c.* *Et mihi videtur, incedunt (luminaria) per cœli superficiem, lucem ad nos porrigentia vniuersam.* Non enim frustra habet Scriptura; *Posuit Deus ea in firmamento.* Nec intelligenda est, *ut quidam volunt, dictio, Posuit, pro Fixit.* Quapropter *IESVS* filius *Nauæ* exclamat, *Stet sol: nec dixit, stet cœlum, quod ipsum mouet.*

Idem significare videtur Diodorus Tarsensis, ut in catena Lipomani habetur; verba eius sunt: [Nemo igitur cum audierit, Et posuit ea in firmamento cœli, existimet solem, ac lunam, & stellas in cœlo fixas, gentile dogma in Ecclesiam inducens; neque cœlum moueri. Neque enim cū dictum est, & posuit Adam in Paradiso, Adam ibi fixisse credendum est; sed ut ibi vitam suam transigeret. Quare intelligendum est, quemadmodū homines in terra, ita luminaria in cœlo posita esse, supernum illud iter peragentia. Vbi nonnullis videtur hic author contrariam sententiā tanquā gentile dogma detestari.]

Denique non minus grauitur eandem sententiam tradere videtur Philastrius in suo catalogo Hæresion, ubi ita loquitur: *Est hæresis, quæ stellas infixas putat esse in cœlum, non de thesauro, locisque absconditis, atque à DEO dispositis in vespertinum iussu diuino repente procedere, statimque horum suo lumine cursum ministeriumque indictum, agnoscere. Quod contrariam, alicuiusque Catholice fidei inuenitur, si ita quis senserit, magisque pagana vanitatis, & Philosophorum inanæ sententiæ, quam Christiana scientia habere consortium demonstrabitur.* Hi igitur omnes, eo ipso, quod cœlo immoto, stellas in eo libere, tanquam aus in aère, moueri indicant, cœlum sydereum liquidum seu molle constituisse videtur.

Adijci his posse videantur alicui Basilii homil. 1. Hexaem. & qui cum hac in re sequi solet. Ambrosius lib. 1. Hexaem. cap. 6. qui disertè scribunt, *cæli naturam tenuem esse, & subtilem, non solidā.* Sed isti ad propositum non pertinent; loquuntur enim de cœlo, quod, & quale fuit in principio creatum: ipsum autem firmamentum, siue cœlum sydereum, aperte docent esse solidum, ut inferius patebit.

Citant etiam nonnulli, plures alios Patres; ut primum omnes eos, qui cœlum eiusdem naturæ cum elementis, non tamen terra, faciunt. Sed plane immerito: nam ex his ipsis plerique cœlum glaciæ, aut crystallo, uti putant, ex aquis consolidatæ, comparant, ut infra patebit, & vidimus q. 2. dub. 4. Illi etiam, qui igneæ naturæ esse astra docuerunt, non omnes ideò ea liquida & fluxa

corpora fecerunt; ut videre est in Anaxagora, qui solem docuit esse candentem laminam; sed nec Mathematici hodie, qui astra cœloque elementaris naturæ faciunt, astra fluxa esse corpora & liquida facile dixerint. Denique si ita argumentari licet, nec pisces nec aues, cum ex aquis producta, sint, solida corpora erunt. Citatur etiam Hieronymus in illud Isai. 51. *Cæli sicut sumus liquecent; sed expresse loquitur de conditione cœlorum in fine mundi: ac proinde hic ipse locus tam scripturæ, quam S. Hieronymi, præsentis cœlorum liquiditatis fortiter aduersatur, ut inferius dicitur, &c.* Citatur etiam Beda, lib. 2. de elem. Phil. in princip. Sed qui oppositum expresse docet, ut inferius dicemus. Neque in obiecto loco plus dicit, quam stellas non esse ita (forte quasi extrinseco nexu) in cœlo infixas, ut gemmæ in auro: cum tamen ibidem stellas cum mundo, adeoque cœlo moueri fateatur.

Rationes autem pro hac sententiâ habere possunt. Primo quia in scriptura motus, tam diurnus, quā aëneus, ubique aëtris siue stellis, non autē cœlis ascribitur. Vide Ecclesiast. 1. Plat. 18. &c. Secundo singulare est illud, quod eodem Psal. 18. v. 7. de sole dicitur. *Assumit cœlo egrediens, & occurrit eius, usque ad summum eius.* Quæ verba significare videntur, cœlum ipsum non deferre solem, sed imotum consistere; atque à summitate eius egredi solem, & rursum ad summum redire.

Tertio ratio etiam Physica adduci potest, Tum quia si cœlum solidum esset, densum quoque & durum esset; omne autem durum & densum est graue, ut ratio cinantem vidimus Nyssenum. Tum quia sic non tantum facilius ac planius varius aërorum motus explicatur; sed etiam vitatur inexplicabilis propemodum illa tot eccentricorum & epicyclorum, adeoque tot entium minime necessaria multiplicatio: præterquam quod illa vniuersalis cœli vndique æquabiliter expansi facies, multo elegantior, ac tam perfecto corpori conuenientior videri potest. Accedunt multa noua in cœli phenomena; quæ prorsus conuincere videntur, cœlos esse liquidos, de quare duferqueti.

Secundā sententiā media est, stellas quidem errantes suo cœlo solide infixas; errantes autem, siue planetas, absq; vilo alio corpore solido deferente, in æthere, vel ut liquido corpore libere vagari. Hæc sententiā expresse nullus, quod equidem sciam, veterum Patrum aut Philosophorum defendit. Innuere tamen videntur illi, qui docent stellas errantes in firmamento fixas esse, planetas autē vario motu in æthere vagari. Quod quidē tradit Iunilius seu Beda in Hexaemeron.

In eundem sensum loquitur Isidorus lib. 3. Etymolog. cap. 49. Solem, inquit, *per se ipsum moueri, non cum mundo verti dicunt. Nam si fixus cœlo maneret, omnes dies ac noctes æquales existerent: sed cū alio loco eras occasurum, alio occidisse hesternio videmus, apparet, eum per se ipsum moueri, non cum mundo verti.*

Item Richardus Victorinus l. 2. except. cap. 7. *Quætra die, inquit, fecit luminaria, quæ in firmamento probantur esse fixa; exceptis septem planetis, quorum ista sunt nomina; Luna, Venus, Mercurius, Sol, Mars, Iupiter, Saturnus.* Hilobonæque edidit. ead. m. 22. v.

Item Anselmus Cantuariensis lib. 1. de imag.

mundi cap. 24. [Ignis qui quartum elementum. conscribitur, quasi non gignens dicitur: à luna. vsque ad firmamentum extenditur. Is tantum est aëre subtilior; quantum aër aqua tenuior, aqua terrâ rarior. Hic etiam æther, quasi purus aër dicitur, splendore perpetuo lætatur. De hoc Angeli corpora sumunt; cum ad homines missi veniunt. In hoc septem stellæ singulis circulis contra mundum feruntur, & ob vagum cursum, planetæ, id est, erraticæ dicuntur. Hæ immensa celeritate firmamenti ab oriente in occidentem raptantur, tamen naturali cursu contra mundum ire comprobantur; sicut mæca in rota molendini.]

Idem Hugo Carenensis in Postillis, ex sua, an aliorum sententia? *Erant, inquit, luminaria, id est, sol, luna, & stellæ. Stella sunt in firmamento fixæ secundum quosdam, vel prope ipsum: secundum alios sol, & luna, & ceteri planetæ sub stellis, in æthere.*

19 Sed reuera auctores isti plus non dicunt, quam quod omnes farentur, habetas hoc à stellis fixis differre, quod nec eundem inter se motum habeant; nec adeo vni etiam alicui sphaeræ omnes; imò nec singuli suæ sphaeræ immobiliter infixæ hæreant; interim singulos habere propriam sphaeram, eidemque, aut epicyclo sphaeræ, infixos esse, non negant. Imò Iunilius, Hugo Carenensis aperte defendunt, firmamentum, adeoque cælum omne sydereum, esse solidum; vt inferius patebit: Anselmus vero cælum planetarum à firmamento distinguens, in ipsis citatis antea verbis, eum asserit, *Planetæ singulis circulis contra mundum ferri, & firmamenti celeritate raptari, solidos saltem circulos in cælo planetarum agnosce.*

20 Apertius eandem sententiam indicat Dionysius Carthusianus enarratione in Genes. 12. [Hic sumitur, inquit, firmamentum pro cælo stellato, seu sphaera octava, nisi forte per stellæ intelligantur non solum stellæ, quæ dicuntur fixæ in firmamento, sed & alij quinque planetæ. Denique stellæ, quæ sunt in sphaera octava, secundum Aristotelem, & eum sequentes, sunt fixæ in ipsa, nec habent proprium motum; sed motu sui orbis moventur, suntque de natura eiusdem orbis, & unaquæque est densior pars ipsius. Vnde dispositæ sūt ad suscipiendum lumen præclarior, quam ceteræ orbis partes. Planetæ vero dicuntur stellæ erraticæ, aut non fixæ in proprijs sphaeris, sed proprium motum habentes.] Sed nec iste plus dicit, quàm planetas non adeo infixos proprijs sphaeris, quin proprium nihilominus, & ab ijs diuersum in suis epicyclis motum habeant. Accedit, quod Autor iste Aristotelis hac in re sectatorem se profitetur.

21 Verum quicquid sit de antiquis scriptoribus, in eam tamen sententiam, quod cælum planetarum sit liquidum; stellarum autem fixarum cælum sit solidum, multum inclinant recentiores quidam Astronomi, propter novas obseruationes ac phænomena, quæ soliditatem impugnare videntur, at soliditati ipsius, vti vocant, firmamenti, seu cæli stellarum inerrantium, minime aduersantur: putantque; hæc ratione se satisfacere & scripturæ, & SS. Patribus, qui satis aperte soliditatem firmamenti adstruunt; vt dicitur.

22 Tertia sententia eadem media est, cælum non esse quidem ita liquidum, & fluxum; vt est aër, vel aqua, nec tamen ita etiam solidum, & durum, vt est ferrum aut crystallus; sed esse aliquid consistens; vnumque corpus continuum, tamen ex pluribus orbibus constans, atque ita molle ac cessile, vt vna eius pars certo & stato cursu moueri, altera quiescente; aut in diuersam etiam ab altera partem moueri possit. Ita docet Bonauentura in 2. distinct. 14. part. 2. art. 1. quæstion. 1. [Notandum, inquit, quod secundum communem opinionem loquentium circa hanc materiam, sive naturalium, sive Mathematicorum, luminaria locentur in diuersis orbibus; hæc autem distinctio sive diuersitas orbium secundum melius intelligentes non venit ex distinctione formarum, sicut distinguuntur aër & aqua; nec venit ex discontinuatione superficiæ, sicut distinguitur lapis à lapide, sed venit ex diuersitate motuum: diuersitas autem motuum non tollit continuitatem in eo, quod est subtile, & ad motum habile: sicut manifestè apparet in aqua, quando secundum diuersas sui partes ad diuersas mouetur positiones; & similiter in aëre; ex hoc tamen non discontinuatur. Secundum hanc igitur positionem dicendum est, luminaria cæli posita esse in pluribus orbibus, in corpore tamen vno continuo, quod scriptura vocat nomine firmamenti: & ideo dicit, omnia luminaria posita esse in firmamento cæli.] Sed præterquam quod intelligi nullo modo posse videtur, vt sint plures re ipsa orbis cælestes, & tamen inter se re ipsa discontinui non sint, pugnant contra hanc sententiam omnia, quæ pro cæli soliditate inferius dicentur.

23 Quare etiam Dionysius Carthusianus in 2. distinct. 14. quæst. 3. cum eam Bonauentura sententiam retulisset, mox ex sua sententia subiungit: *Contra huius opinionem præsertim obijciunt, quod inuisibilis auctoritate scripturæ canonicæ, cæli solidissimi sunt quasi erefusi; propter quod vnum est idem cælum in diuersis partibus suis non videtur sic posse moueri contrarijs motibus, instar aquæ & aëris, seu consimilium subtilium, mollium, ac diuisibilium corporum.* Quomodo autem idem Bonauentura Physicorum iudicium in his rebus anteponat Mathematicorum opinionationibus, non contra, dicitur quæst. seq.

24 Quarta sententia est, cælum omne sydereum, tam stellarum errantium, quam inerrantium, esse solidum plane & firmum. Ita sentiunt ex scriptoribus in primis Aristoteles lib. 2. de cælo à text. 43. vsque ad 52. item Iosephus antiquit. lib. 1. capiti. 1. item ex parte Plato in Timæo superius citatus, & apud Eusebium de præparat. Euang. lib. 1. cap. 16. dum circulos saltem solidos; non minus fere quam sphaeras, nouis Tychonis & quorundam Astronomorum hypothesibus repugnantes, cælis tribuit: locum inferius adducemus. Huc spectat meo iudicio etiam Ptolomæus; vt cunctum Dionysius Carthusianus loco citato, & vt apparet S. Thomas q. 70. a. 1. ad 3. (qui tamen potius alio sensu videtur locutus, quem dub. seq. ex S. Bonauentura referemus) vt & recentiores nonnulli Astronomi, oppositâ Platoni, atque etiâ Ptolomæo sententiâ attribuant; quasi hic simplices tantum

circulos posuerit; quales Geometria suis obseruatis applicat; cum tamen Prolomæus li. 1. Almagesti cap. 1. (si versioni eius latine fides habenda, quam mihi solam hæcenus videre contigit) præter spheram fixarum, aperte septem planetarum sphas agnoscat, earumque inter se ordinē constituat; supponēs utique, easdem sphas esse corpora solida siue dura, & inter se reipsa distincta; alioqui non sphas, sed circulos, uti coloros; æquatores &c. dicimus, indigitare debuisset &c. Idem videre est apud Proclum Astronomicarum hypotypos. cap. 1. & sequentibus, ubi aperte etiā orbis diuersos planetarum, cum epicyclis & eccentricis distinguit.

25 Eandem sententiam tradit Philo lib. de Gigantibus, ubi ait: [Cœlestes orbis habent motus inter se contrarios, quorum alter dextrorsum fert fixa sidera, alter sinistrorsum erratica. Sed extim<sup>9</sup> ille orbis fixarū stellarum vnus est, qui ab oriente ad occidentē voluitur: interiores autē septē, erraticarum videlicet; quorum cursus simul coactus, & volūtarius duos mot<sup>9</sup> habet inter se cōtrarios.]

Ex scriptoribus Ecclesiasticis idem sentiunt primum illi, qui vtriusque generis stellas pluribus orbibus, seu spheris infixas, vna cū illis circumuolui docent. In his est Dionysius lib. de diuin. nominibus c. 4. citatus q. 5. ubi aperte ipsum etiam cœlum vna cura astris localiter mouerit asserit.

26 Idem ex Moyse & Platonis sententia, docet Eusebius cit. l. 11. c. 16. [Rursum cum Moyse solem, & lunam, & ceteras stellas à Deo productas ostendit, Et dixit Deus, inquit, Fiant luminaria in firmamento cœli, & sint in signa, & in tempora, dies & annos. Et fecit Deus duo luminaria magna, & posuit ea in firmamento cœli, & stellas: Similiter Plato quoq; dicit, à verbo & mente diuina solē & lunam, & alias quinque stellas cognominatas erraticas, ad generationem temporis facta esse. Quorum corpora Deus fecit, & posuit in circulis. Et infra: Deinde cum Moyse in firmamento positas stellas dixerit, eadem voce Plato vsus, In circulis posuit, inquit.] Constat autem ita in circulis positas à Platone stellas, ut hæc simul cum illis mouerentur. Idem etiam ex Lino refert Eusebius li. 13. cap. 7. cum ita canit:

*Vnde etiam cœlum stellis errantibus aptum voluitur, & circulis totidē circum vndiq; fertur.*

27 Sed & Basilii Hexæmeron Homil. 3. hanc saltem aliorum cōmānem sententiam non videt; sed tanquam verosimilem refert, cum ait: [Neque hæc aliquando minore fide credi par est; quā quæ credimus, septem esse orbis, in quibus stellæ septem fere omnium consono ore prædicantur, suum peragere cursum; quos quidem cœlos ita asserunt concinne inferi vnū alteri, quemadmodum si cadi aut vascula in sese inserta sint.]

Item Ambrosius eundem secutus l. 2. Hexæm. cap. 2. [Quem imitantes, inquit, Philosophi, septem stellarum solis & lunæ globorum consonum ortum introduxerunt; quorum orbibus, vel potius globis, connexa memorant omnia, quos sibi inhxos, & velut insertos versari retro, & contrario ceteris motu arbitrantur.]

Idem sentit videtur Hieronymus in Epist. ad

Ephel. lib. 2. c. 3. ubi ait: *Quoniam à plerisque iuxta Ecclesiasten cœlum affirmatur rotundum, & in sphaera modum volui, nulla autem rotunditas latitudinem & longitudinem habet, altitudinem, & profundum, sed ex omnibus partibus coequalis est, &c.*

Idem docet Augustinus, seu quisquis est auctor libri de prædestinat. Dei: 1. ubi ait: *Prædestinauit insuper (Deus) ut cœlum semper volueretur, terra immobilis circumuolenti cœlo loco centri haberetur.*

28 Eandem sententiam refert, nec improbat Damascenus l. 2. Fid. Orthod. c. 6. ubi ait: [Forinsecus autē omnium in ambitu esse cœlū, quod & astruit circulariter agitari, & constringere quæ infra sunt, & sic omnia manere firma & indecidua; septem enim ferunt esse cœli zonas circulosque, & alterum altero esse tenuiorem, ipsumque (cœlum) esse tenuissimæ naturæ tanquam fumū, & in vnoquoque circulo vnū esse planetarū.] Vbi tamen cū cœlum planetarum dicat esse tenuissimæ naturæ, tanquam fumum, videtur solidos tantum circulos planetis, non integras sphas tribuere. Quod ipsum ibidem, etiam alijs verbis indicat, cum ait: [Si autem septem circulos septē cœlos suscipere volueris, nihil in ratione veritatis offenditur.]

29 Deinde vero eandem cœlorum soliditatem ex Patribus multo apertius tradunt illi, qui docent, cœlū siderē, seu firmamentū, esse corpus solidū, & instar crystalli seu glaciei concretū ac induratū; aquas superiores ferre, detinere &c. Quæ cōmūnis semper & certa SS. Patrum sententia fuit; ut ex his testimonijs liquet. Clemens Papa lib. Recognitiōnum 5. ex persona S. Petri: [Iam vero, inquit, aqua, quæ erat intra mūdū, in medio primi illi<sup>9</sup> cœli terræque spatio, quasi gelu concreta, & crystallo solidata distenditur, & huiusmodi firmamento velut intercluduntur media cœli ac terræ spatia, idque firmamentum cœlum Conditor appellauit; antiquioris illius (cœli) vocabulo nuncupatum.]

30 Idem significat Origenes homil. 1. in Genes. [Cum iam antea Deus fecisset cœlum, hunc firmamentum facit. Fecit enim cœlum prius, de quo dicit, cœlū mihi sedes est. Post illud autem firmamentum facit, id est, corporeum cœlum. Omne enim corpus firmum est sine dubio, & solidum; & hoc est, quod diuidit, inter aquam, quæ est super cœlum, & aquam, quæ est sub cœlo.] Vbi Origenes corpus strictè accipere videtur, pro corpore stereometrico, siue pro eo, quod tactum terminare, ac ei resistere, manibusq; prensari potest; cum è contrario etiam in scriptura ventus dicatur spiritus. In quem sensum etiam videtur loqui Eusebius l. 13. de præparat. Euang. c. 6. [In creatione mundi sensibilis solidum cœlum creauit. Solidum porro nihil aliud, quam sensibile est.]

31 Eandem sententiam aperte tradit Basilii homil. 3. Hexæmeron itidem de firmamento loquens: [Nos autem dicimus; cū Nomen diuersū officiumq; peculiare cœli secundi traditū sit, aliud hoc præter id esse, quod in principio est effectū, solidioris sane naturæ, præcipuū quoq; officium vniuerso subministrans: Et infra. Scriptura sacra nomine firmamenti in ijs rebus, quæ robore viribusque exuperant, uti consuevit, quemadmodum cum dicit, Dominus firmamentum meū

&c. Nam

&c. Nam externi homines, id firmum corpus dicunt, quod quasi solidum est, densum ac plenum, ut à Mathematico corpore distinguerent. Est autem Mathematicum corpus, quod in dimensionibus solis consistit, latitudine inquam, longitudine, & profunditate. Firmum autem solidumque, quod cum dimensionibus & reniti resistereque potest. Scriptura autem sacra, quod perrobustum est, neque cedit, id omne firmamentum dicere consuevit; atque adeo ut & in aëre addensato] (qui tamen non cedat, ut mox declaratur) [hac ipsa voce plerumque uti videatur: veluti cum dicit, Qui tonitruum firmat. Soliditatem enim & resistantiam eius spiritus] (qua videlicet nulli plane corpori cedit) [qui in nubium concavis sinibus includitur, &c. firmitudinem tonitruum scriptura nuncupavit. Igitur & hic etiam pro quadam firma solidaque natura, ad detinendas aquas, ac coercendas idonea, quæ suapte natura dilabuntur perfacileque dissoluuntur, hæc à scriptura vocem allatam esse arbitramur.] Ex quibus omnibus evidens est, ex sententia S. Basilij, firmamentum esse corpus ita solidum, ut non cedat, sed renitatur & resistat tangenti.

32 Ambrosius eundem secutus lib. 2. Hexaem. *Sed movet nos, inquit, quia & nomen aliud (firmamenti) significatur, & species solidior, & causa discernitur, & persona cooperantis adiungitur. Sic enim scriptum est, Et discrete Deus inter medium aquarum, quæ erat sub firmamento, & inter medium aquarum, quæ erat super firmamentum.*

Et rursum ibidem cap. 2. *Si naturam Elementorum consideres, quomodo inter aquas solidatum est firmamentum? Illæ profuunt, istud constringitur; illæ currunt, hoc manet.*

Et cap. 4. [Videtur supra generaliter dixisse, In principio cælum factum, ut omnem cælestis creaturæ fabricam comprehenderet; hic autem specialem firmamenti huius exterioris soliditatem, quod dicitur cæli firmamentum: Sicut legimus in hymno prophetico, Benedictus es in firmamento cæli. Nam cælum quod & γαῶνς græcè dicitur, latine quia impressa stellarum lumina velut signa habeat, tanquam cælatum appellatur, sicut argentum, quod signis eminentibus refulget, cælatum dicimus: & γαῶνς autem αἰὲρ τῆς γαῶνς dicitur, quod videatur.]

33 Chrysostomus in catena Lipomani lect. 4. *Præcepto Domini productum est firmamentum, separationem aquarum faciens, quod valeat alias sub se continere, alias vero in connexo suo ferre. Non ferret autem, si solidum non esset. Desumptus est hic locus ex homil. 4. Chrysostomi in Genesis, ubi etiam prius præmiserat: Quid est firmamentum? Quasi quis dicat humanâ linguâ: Fiat paries quidam & interstitium in medio dividens, & separationem faciens. Ita Chrysostomus; qui tamen cuius materiæ sit hic paries, non vult definire.*

Hieronymus in epistola ad Oceanum: [Inter cælum & terram medium extruitur firmamentum, & iuxta Hebraici sermonis etymologiam, cælum, id est Samaim, ex aquis sortitur vocabulum; & aquæ quæ super cælos sunt, in laudes Dei separantur. Vnde & in Ezechiele Prophetâ, Chrysellum super Cherubin videtur ex-

tensum, id est compacta & densiores aquæ.]

Theodoretus quæstio. in Genes. 11. [Fiat firmamentum in medio aquarum, quod per medium separet aquas ab aquis: sic enim ab ipsa re cæli sortiti sunt appellationem. Siquidem cum ex aquarum fluida substantia compositum sit, & natura fluida condensata, & consolidata fuerit, firmamentum nominatum est.] Lipomani in catena lect. 4. ita hæc verba refert. [Quoniam quidem cælum ex fluxa aquarum natura constitit, & quæ prius liquabilis esset natura, solidissima est effecta, ea de causa firmamentum est appellatum.]

Cyrrillus Hierosolymitanus Catech. 9. *Quid enim habent, quod accusent in hoc maximo Dei officio, qui super se positi debent insistentes calorum magnitudinem: qui adorare debent constituentem tanquam formicem cælum, & ex fluxa aquarum natura, indeficientem cæli naturam fabricantem? Dixit enim DEVS, Fiat firmamentum in medio aquarum: semel dixit DEVS & permanet, nec deinceps cecidit. Audis cælum tanquam formicem constitutum, & fluxæ naturæ aquarum oppositum: esto interim iuxta Cyrrillum, cælum ex aquis elementaribus sit compositum.*

Eucherius lib. 1. in Genes. *Fiat firmamentum, Firmamenti nomine cælum significavit, pro eo, quod fortiter & firme compositum est.*

35 Iunilius apud Lipomanum in Hexaem. Non solum refert & approbat verba Clementis superius allata, sed insuper etiam addit: [In medio ergo aquarum firmamentum esse constat sydereum cælum. Neque aliquid prohibet, ut & de aquis factum esse credatur. Quæ enim crystallini lapidis firmitas, quæ sit perspicuitas ac puritas nominis; quem de aquarum congregatione certum est esse procreatum. Quid obstat credi, quod idem dispositor naturarum, in firmamentum cæli substantiam solidaret aquarum?]

Gennadius in catena Lipomani. *Firmamentum itaque ex ipsius Dei officio appellavit, eo quod cum primo lenta, fluxa, solubilisq; natura esset, solidam & minime mobilem constipationem accepit.*

Claudius Marius Victorinus comment. in Gen. 1. 1.

*Quoniam se firmissima moles*

*fluctibus & medijs concreto corpore cedens*

*Excubuit, ac late duro solidata rigore*

*Diuisas suspendit aquas.*

36 Anastasius Synaita comment. in Hexaem. lib. 2. *Qui enim ex aquis firmavit cælum, & super aquas suspendit terram, poterat & sine aqua, indissolubile custodire firmamentum, etiam ex igne solis.*

Oecumenius in 2. Petri capit. 4. [Et quid est, quod nesciunt, quod quemadmodum in diluio erant cæli ex aqua, iuxta mundi creatione à Mose narratam (ipse enim ait, Deum præcepisse, ut fieret firmamentum in medio aquarum, hoc est, firmior aquarum substantia) ita & terra ex aquis apparuit iussu conditoris, quæ etiam in illis primum demersa erat? Et quemadmodum cælo & terra ex aquis constitutis, diluuium inopinato superuenit; ita & nunc statutum est, ut per ignem fiat vniuersi corruptio, cum quo impij quoque peribunt.]

Seuerianus in Hexaem. apud Lipomanum: 37

*Hæc*

Hæc aqua triginta verbi causa cubitis terram superabat. Dixit Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, nec mora: compacta est in medijs aquis congelatio quædam crystallina: id ipsum cælum est, quod dimidium aquarum secum suspendens reliquum infra reliquit. *Et infra:* Cælum ergo hoc, non illud supremum, sed quod aspectabile est, ex aquis effecit Deus, & ut crystallum fixit. Vide operum virtutem, ut opifice admireris, mediâ aquarû partē supra, mediâ infra esse voluit.]

Acacius ibidem: [Secundum vero, & cœli, & firmamenti nomen accepit. Cœli quidem, quia supra nos est, & prioris cœli vires, atque usum nobis refert. Firmamenti vero, quia ex fluxa aquarum essentia consistit, & fluxa illa ac liquida natura densissima ac solidissima ab opifice Deo effecta est.]

Anselmus Laudunensis in Glossa interlineari: *Aquarum superior pars in modum crystallini lapidis congelata est, inferior in materiam redacta.*

Anselmus Cantuariensis, seu quisquis ille est author, lib. 1. de Imag. Mundi capit. 35. *Superius cælum firmamentum dicitur, eo quod sit inter medias aquas firmamentum; hoc est forma sphericum, naturâ aquarum aqueum, stellis undiq. versim ornatum, ex aquis, instar glaciæ, imo crystalli, solidatum: vnde, & firmamentum appellatur. Et infra: Sunt enim stellæ firmamento infixæ, & non cadunt, eo mira celeritate currente.*

Eandem sententiam expresse tradit Beda in Hexameron ad illa verba [vocalitque Deus firmamentum cælum, &c. Hic nostri, inquit, cœli in quo fixa sunt sydera, creatio describitur; quod in medio constat firmamentum esse aquarum. Nam suppositas ei esse aquas, & ipsi in aère terrifque videmus: superpositas autem, non solû huius scripturæ autoritate, sed & Prophetæ verbis edocemur, qui ait: Extendens cælum sicut pellem, qui tegis in aquis superiora eius. In medio ergo aquarum firmatum esse constat sydereum cælum; neque aliquid prohibet, ut de aquis factû esse credatur. Qui enim crystallini lapidis, quanta firmitas, quæ sit perspicuitas ac puritas nouimus, quæm de aquarum concrectione certum est procreatum, quid obstat credi, quod idem dispositio naturarum in firmamentum cœli substantiam solidarit aquarum? Si quem vero motet, quomodo aquarum natura fluere semper, atque ad ima delabi, super cælum consistere possit, cuius rotunda videtur esse figura: meminerit scripturæ dicentis de Deo, Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum: & intelligat, quia qui infra cælum ligat aquas ad tempus, cum vult, ut non pariter decendant, nullo firmitatis substantiæ crepidine sustentatas, sed vaporibus solummodo nubium retentas, ipse etiam potuit aquas super rotundam cœli spheram, ne vniquam delabantur, non vaporali tenuitate, sed soliditate suspendere glaciali.] Ita Beda; quem locum refert etiam Magister in 2. d. 14. Idem Beda qq. in Genes. & in lib. de sex dierum creatione: [Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum stabilitatis, siue propter intransgressibilitatem superiorû atque inferiorum aquarum.]

Hugo Victorinus Annot. in Genes. cap. 6. *Beda dicit, quod firmamentum sit de aquis solidatis, quasi crystallinus lapis: quod verisimile videtur, cum color eius hoc visibus nostris indicet.*

Hugo Carenfis in Hexaem. apud Lipomanum: *Firmamentum est superficies mundi sensibilis, ex aquis congelatis, in crystallum, ut dicunt, alia omnia simplicia continens, ad similitudinem testa oui.*

Petrus Comestor, seu Magister Scholasticæ historiæ cap. 4. [Fecit ergo ea die Deus firmamentum in medio aquarum, id est, quandam exteriorum mundi superficiem ex aquis congelatis ad instar crystalli consolidatam & perlucidam, intra se cetera sensibilia continentem, ad imaginem teste, quæ in ovo est: & in eo fixa sunt sydera, &c. Et dicitur firmamentum, non tantû propter sui soliditatem: sed quia terminus est aquarum, quæ super ipsum sunt, firmus & intransgressibilis.]

Glossa ordinaria: *In medio ergo firmamentum est sydereum cælum, quod de aquis factum esse credi potest. Crystallus enim lapis, cuius magna firmitas, magna perspicuitas, de aquis factus est.*

Idem supponit Guilielmus Parisiensis lib. de vniuerso parte 1. Item Dionysius Carthusianus in 2. dist. 14. quæstion. 3. ait, *inviolabile auctoritate scripturæ canonice cæles solidissimos, quasi ere fusos, ut supra retulimus.*

Idem supponit S. P. N. IGNATIUS in epist. de obedientia, cum ait: [Nam ut in corporibus globisque celestibus, ut alius alium afficiat, moueatque, requiritur, ut certa quadam conuenientia, & ordine inferior orbis superiori subijciatur; sic in hominibus, cum alter alterius auctoritate, mouetur; quod per obedientiam fit, oportet, ut is, qui ab alterius nutu pendet, subseruiat & obsecundet, ut virtus ab imperante ad eum deriuetur & influat.]

Idem indicat Magister sent. lib. 2. dist. 14. dum relatum Bedæ sententiam refert, & in eadem acquiescit; licet postea S. Augustini diuersas sententias referens, cum eo dubitare, ac in medio perplexus hæere videatur. Idem constanter docet Sanctus Thomas 2. d. 14. & 1. part. quæst. 68. a. 2. & Scholastici omnes (excepto Bonauentura, ut dictum) tam veteres quam recentiores ibidem, cum commentatoribus in scripturam; in quibus speciatim Lipomanus in catena, Vielmus in Genes. sect. 14. Pererius lib. 2. q. 9. Martinus Delrius in Genes. cap. 1. n. 36.

Item Augustinus Steuchus in Cosmopœia, & suam, & antiquorum sententiam hac de re proponens, ait: [Hinc Græcorum & Latinorum, quin & Hebræorum plures, non dubitarunt totam cœli compagem dicere quasi solidissimam crystallum, concretam firmatamque ex aquis, ut gemmæ (si parua licet componere magnis) pretiosique lapilli; & has esse aquas supercælestes. Nihil certe de aquis illis, si sunt, dici poterat probabilius. Nos autem non quidem hæc inficientes, quæ a doctissimis hominû iudicijs magno cōsensu comprobata sunt, à quibus & in adnotationibus nō dissensimus; sed quia videre visi sumus quiddam aliud sentire scripturas his de aquis, testimonia & rationes in aliam sententiam, in medium proferentes.]

Primum afferentes, fieri posse, cœlum ut crystal-  
linum sit, & aqueum, idque magis affirmari quã  
negari à Philosophia diuina, eamque nos sequi  
sententiam; aquas autem istas esse aliud prorsus  
ab hoc ipso.]

42 Denique Afcanius Martinengus tom. 2. in illa  
verba Genes. *Et posuit eam DEVS in firmamento cali,*  
pag. 1018. aduersus eos, qui dicunt, cœlos esse  
liquidos; ita denique concludit: [Hoc abnuunt  
Peripatetici, & cum ipsis Diuus Thomas, & Scho-  
lasticorum ingens acies, qui ex quinta quadam  
essentia; eaque incorruptibili constare edocent.  
Negant quoque Platonici, qui ex summatibus ele-  
mentorum cœlum, ut corpus solidum, coactum  
perhibent. Inficiantur Patres illi, qui ex glacie  
concretum autumant, Diuus Petrus, Genadius,  
Hippolytus, Theodoretus, Beda, Hugo, Petrus  
Comestor, Guilielmus, Seuerianus, & Acacius  
ipse; qui etsi cœlum semisphæricum existimauit,  
attamen ut crystallum concretum tradunt. Ab-  
nuunt & illi, qui ipsum, ignoto constitutionis ge-  
nere constatum arbitrantur, Basilius, Ambrosius,  
Damasenus. Abnuunt dignitas ipsa corporis cœle-  
stis, quæ cum sit præstantissima, aëris ac aquæ la-  
bilitati, vix comparari potest. Abnuunt ipsa eiusdẽ  
natura: nam cū cœlum sit, si nõ incorruptibile,  
faltẽ difficiliter alterabile, ac omnibus corporibus  
elementatis præstantius, soliditas, nõ mollicies ei  
magis competere videtur. Sed quod adhuc magis  
vrget, abnuunt & scripturæ. Iob namq; cœlos tan-  
quam æs fusos dixit &c. Cœlum immobile esse nõ  
posse, contrariorum motuũ ratio euidentissime  
demonstrat: Constituendũ itaq; est hoc axioma,  
cœlum ut æs fusum, impenetrabile, & sphæricum  
esse, nec immotum consistere &c.] Ita ipse.

43 Inter has vero sententias, ita medius incesit.  
Augustinus, ut nulli constanter adherere videret-  
ur. Sic enim scribit lib. 2. de Genes. ad literam.  
cap. 10. [Hoc sane nouerint, nec nomen firma-  
menti cogere, ut stare cœlum putemus; firmamẽ-  
tum enim non propter stationem, sed propter fir-  
mitatem; aut propter intransgressibilem terminũ  
superiorum ac inferiorũ aquarum, vocatum intel-  
ligere licet. Nec si veritas cœlum stare persuaserit,  
impediri nos circuitu syderum, ne hoc intelligere  
possimus: & ab ipsis quippe, qui hoc curiosissime  
& ociosissime quærunt, inuentum est, etiam cœlo  
non moto, si sola sydera verterentur, fieri potuis-  
se omnia, quæ in ipsis syderum conuersionibus a-  
nimaduersa atque comprehensa sunt.] Ita Augu-  
stinus; qui tamen quia firmamentum à firmitate  
& intransgressibili termino dictũ indicat, solidum  
potius, quam liquidum esse firmamentum existi-  
mare videtur. Nostra vero sententia sequentibus  
assertionibus continetur.

44 Assertio I. Cœlum seu corpus cœleste sua na-  
tura non est corpus solidum, sed liquidum. Ita  
expresse docet Gregorius Nyssenus in Hexaem.  
supra, pro prima sententia relatus; qui de ipso e-  
tiam firmamento loquens, diserte negat, esse cor-  
pus solidum, resistens, ac durum; siue ex quatuor  
elementis compositum; siue alterius naturæ esse  
dicatur: dici tamen firmamentum respectu na-  
turæ spiritualis & incorporeæ; quia cœlum illud

corporeum ac sensibile est. Idem tradunt alij Pa-  
tres, qui re ipsa nunc firmamentum alioqui soli-  
dum ac resistens durumque corpus esse affirmant.  
Speciatim Basilius Homil. 1. Hexaem. vbi ait: *De  
substantia cali satis faciunt ea nobis, quæ ab Isaiâ Prophe-  
ta sunt dicta, qui vulgaribus verbis idoneum de ipsius na-  
tura sensum nobis aperuit, cum dixit: Qui firmavit cœ-  
lum quasi fumum: id est, qui tenuem naturam, non so-  
lidam, neq; crassam, ad constituendam cali substantiam  
fecit.* Vbi tamen quidem citatum ex Isaiâ testimo-  
nium parum ad propositum facit: Nostra enim le-  
ctio habet: Isaiæ 40. y. 22. *Qui extendis velut nihilũ  
cœlos, hoc est facillime & sine labore.*

Basilius, uti solet, sequitur Ambrosius lib. 1.  
Hexaemeron cap. 6. vbi ait: *De qualitate & sub-  
stantia cali, satis est ea promere, quæ in Isaiâ scriptis re-  
perimus: qui mediocribus & vñsatis sermonibus qualita-  
tem naturæ cœlestis expressit, dicens, quod firmamentũ ca-  
lum sicut fumum: subtilem eius naturam, nec solidam  
cupiens declarare.*

Idem sentiunt omnes alij Patres; qui cum cœ-  
los omnes quoad substantiam primo die produ-  
ctos asserant, simul tamen docent, firmamentum,  
quod in cœlorum vtique numero habent, ex aquis  
& liquida materia, quadam condensatione siue  
consolidatione productum fuisse: hinc enim ma-  
nifeste efficitur, firmamentum quoad substantiã,  
seu quod idem est, ipsam firmamenti substantiam,  
initio non fuisse solidam, sed primum secundo die,  
cum antea liquida esset, consolidatam. Quod spe-  
ciatim tradunt Clemens Romanus l. 5. Recognit.  
ex persona S. Petri, Ambrosius lib. 1. Hexaem.  
cap. 6. & lib. 2. cap. 4. Basilius homil. 1. & 3. He-  
xaem. & in alio opere Hexaem. ab Eustathio lati-  
ne reddito lib. 2. Theodoretus in Genes. quæst.  
11. Cyrillus Hierosolymitanus catech. 9. & alij plu-  
res dub. præced. notat. 2. relati.

Idem probatur ex scriptura hoc argumento. Si  
ipsum etiam firmamentum quoad substantiam i-  
nitio primi diei fuit productum; nec tamen statim  
eo die, sed primum secundo die fuit solidatum;  
tunc sane fatendum est, cœlos suã naturam non esse  
solidos; sed iuxta scripturam verũ est antecedens,  
quoad vttramque partem; priorẽ enim ex scriptura  
& Patribus probauimus supra q. 2. dub. 2. secundã,  
præter auctores relato pro quarta sententia, satis  
aperte tradit ipsa etiam scriptura, ut dicitur assert.  
2. Ergo, &c. Potest etiam idem argumentum ex  
scriptura hoc modo breuius formari. Iuxta scri-  
pturam, ut patet assert. 2. Firmamentum secun-  
do die productum fuit, sola consolidatione  
seu duritie ad cœlestem substantiam, iam  
antea præexistentem, additã: sed soliditas seu  
durities, cum sit accidens commune, non  
mutat substantiam rei: Ergo eadem substan-  
tia firmamenti, quæ antea fuit liquida, postea  
primum fuit consolidata; ac proinde non est sua  
natura solida, sed liquida.

Idem suadet ratio naturalis. Quia corp<sup>o</sup> quod-  
libet naturale simplex eo naturæ est tenuioris, sub-  
tilioris, & liquidioris, quo excellentioris, quoque  
etiam locum in vniuerso sublimiorẽ sibi vendicat:  
hinc enim terram tenuitate & subtilitate, adeoq;

& liquiditate superat aqua; aquam aër; aërem ignis: Ergo & ignem aëther, siue caelestis substantia, si secundum suam naturam spectetur; quando quidem caelum seu aëthera substantia, non minus naturæ præstantia, & altitudine loci superat ignem, quam ignis alia elementa.

48 Ex quibus satis colligitur, soliditatem seu duritiam non esse proprietatem naturalem substantiæ caelestis; sed aduentitiam, ac vel propter commune bonum vniuersi, vel ipsius hominis vsum ei superadditam: præcipue verò, vt ex Scriptura colligitur, ob tres causas: primum ad determinandas aquas superiores & inferiores; hoc est, caelestes & elementares; ne vlla vnquam vi inter se commiseri & confundi possent; vti aliqui sua natura, saltem Angelica virtute potuissent, nisi inter se, solido eiusmodi & immobili termino fuissent distinctæ. Secundò, vt esset vehiculum siderum; neque enim facile, aut à motoribus Angelis, nisi ingenti quasi numero multiplicatis, aut tam regulariter stellæ moueri potuissent, nisi sphaeris insertæ, vt pluribus inferius dicitur. Tertio, vt ex parte etiam deseruiet habitacioni beatorum, vt inferius explicabitur.

49 Omittit, quòd soliditas & condensatio caelestis corporis aliquid etiam momenti adferre potuit, ad roborandam & temperandam vim & efficientiam caelestis corporis in hæc inferiora. Neque mirum videri debet, soliditatem caelesti corpori, sua natura non esse debitam, sed per accidens & ab extrinseco ei superadditam; quando plurima alia, & caelis ipsis, & elementis accedunt, quæ naturalis eorum status non depõsit, vt lumen, collectio aquarum in vnum, & alia plura inferius quaestione quarta dubio quarto referenda; quæ etiam propterea, lumine excepto, in fine mundi desitura probabimus. Atque eandem etiam doctrinam tradidimus in Dissertatione de caelis, quaestione octaua suppositæ seu notatione secunda; sed quam nunc commodius in hunc locum transulimus.

50 Quod autem Sanctus Thomas & Scholastici Doctores, qui soliditatem caelorum alioqui ruerent, hanc assertionem vniuersim quidem non tradiderint, causa est, quia de firmamento secundo die producto aliter sentiunt, siue quòd eo nomine aërem, seu aëris partem intelligunt; siue quòd non omnes caelos quoad substantiam primo die productos, siue quòd ipsum etiam firmamentum cum Augustino cum caelo & terra vno eodemque instanti productum sentiunt: vt videre est apud Sanctum Thomam quaestione 68. artic. primo. è quibus si quis vnum modò tueatur, non habet causam, cur soliditatem caelis per accidens tributam asserat: sed quia nos ea omnia sigillatim, & vt existimo, firmiter superius quaestione prima, dubio quarto, & quaestione 2. dubio 2. partim etiam in hac quaestione, dubio præced. assertionem tertiam & quartam refutauimus, non possumus dicere, caelum sua natura esse solidum & durum corpus; sed solum, vt dixi, per accidens consolidatum: quòd etsi de firmamento in primis procedat; pari tamen ratione, & ob similitudinem materiæ, idem de caelis omnibus, dicendum est. Eadem ferè cum ijs, quos diximus, est ratio Aristotelis; qui vti successiuam rerum

productionem à Deo factam penitus ignorauit; nam mirum non est, quòd soliditatem secundo primum die caelo seu firmamento inditam fuisse negauerit.

51 Assertio II. Cælum tamen stellarum inerrantium (quòd solum nunc à recentioribus firmamentum dicitur) reipsa nunc solidum esse, negari sine temeritate vix potest. Probatur primò ex Scriptura, quæ satis aperte docet, caelos esse solidos, quòd de caelo stellarum inerrantium in primis intelligendum, omnes consentiunt. Iob cap. 37. v. 18. dicitur. *In forsancum eo fabricatus es caelos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt.* Vbi de caelis strictè, non de aëre sermonem esse, communis est SS. Patrum, aliorumque interpretum sententia; quam satis & verba ipsa, & verborum contextus, ac res, de qua agitur, confirmant. Id verò ab Eliu indefinitè dictum de caelis, minimum saltem de firmamento, in quo omnium sententia, minima est liquiditatis ratio, accipi debet.

52 Et quamuis ea verba sint ipsius Eliu, hominis non sancti, & cuius etiam discursus moralis, quatenus Iobi innocentiam ac sanctitatem impugnabat, à Deo reprehensus fuit capite trigésimo octauo, vers. primo, id tamen dictum Eliu, vt & alia plures sententiæ amicorum Iob, præsertim de naturis rerum, à nullo vnquam sapiente, quòd sciam, fuerunt reprehensæ; sed potius apud Patres, aliosque viros sapientes, magis semper fuerunt authoritatis, vt videre est apud Commentatores in Iob. Sanctus Thomas quidem eo loco capite trigésimo octauo, lect. 1. dicit, Eliu fuisse à Deo reprehensum, quia veras sententiæ, quas proposuerat, inuoluerat multis falsis & frivolis verbis. Et superius audiuius, Dionysium Carthusianum, eam Eliu sententiam, quasi pro irrefragabili scripturæ authoritate adduxisse.

53 Sicut & Apostolus Paulus 1. Corinth. 3. vers. 13. illud Eliphaz Themanitis Iob. 5. vers. decimo tertio. *Qui apprehendit sapientes in astutia eorum,* citat in persona Dei, vt notauit etiam Sa ibidem. Et illud eiusdem Eliphaz, *Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem,* citat Sanctus Petrus epist. 2. cap. 2. vers. 4. Tale ferè est etiam illud Baldad Sobitis Iob 25. vers. 5. *Stellæ non sunt munda in conspectu eius;* & illud Eliu cap. 34. v. 18. *Qui non accipit personas principum.* Et vers. 24. *Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.* Et vers. 30. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.*

54 Idem probat nomen ipsum ac officium firmamenti, prout Genes. 1. vers. 6. describitur, vbi ita legitur: *Dixit quoque Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum; diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamentum. Et factum est ita. Vocauitque Deus firmamentum caelum.* Vbi pro nomine firmamenti, hebraicè legitur *kiah*, à radice *Rakah*; quòd non solum extendere, sed etiam firmare seu stabilire significat, vt Lipomanus in catena ibidem. Id quòd manifestum est, tum ex versione Interpretum septuaginta, virorum vtrique, si quis alius, linguæ hebraicæ peritissimorum, qui græcè verterunt *στερεωω*, quòd non nisi firmum, solidumque aliquid significat. Tum ex ijs, qui hebraicè tractant mathematica, qui & ipsi forsitan septuaginta interpretes imitati, solida vocant *Ra-*

lib. Deinde officium ipsum firmiter & immobili-  
ter determinandi liquidum aquarum corpus, non-  
ne corpus solidum potius & constans, quam liqui-  
dum & nullis certis terminis definitum requirit? Esse  
autem hoc firmamentum idem prorsus, cum eo, in  
quo stellæ posite dicuntur Gen. 1. v. 17. patebit. q. 8.

55 Expendit hæc omnia recte etiam Delrius cit. nu.  
3. 6. & ipse hebraicæ linguæ non imperitus: [Firma-  
mentum prædeat, inquit, existat, expandatur, solide-  
turque ex hac aquarum incomposita colluue, cor-  
pus quoddam melius & solidius, quod inter aquas  
superiores & inferiores, quasi quidam murus ad eas  
dispendendas, coercendasque interponatur. Sic S.  
Basil. homil. 3. & Chrysost. homil. 4. Rakhiah prop-  
rie & ut plurimum significat expansionem seu ex-  
tensionem, non quamlibet, sed eam maxime, quæ  
extensione ipsa corpus fluidum firmat solidatque.  
Ideo LXX, (quicquid recalcitret Calvinus) opti-  
me vertunt *στέρωμα*, noster firmamentum; quod  
non tantum Zamorensis & Lipomanus Catholicus,  
sed ex Calvini amicis Fursterus & Auenarius hære-  
tici comprobarunt. Radix Rakhiah, proprie signifi-  
cat contundere, & ut ita loquar, malleare; quo mō-  
re fabri ferrum extendunt, & poris ocellis soli-  
dus reddunt: cernas etiam in argilla conculeata.  
Ideo Rabini, cum de corpore stereometrico disle-  
runt, Rakhiah appellant. Vox igitur firmamenti a-  
ptissima est cælo; quod Deus scribitur extendisse  
sicut pellem, seu cortinam tabernaculi. Psalm. 104.  
3. Isai. 40. 2. 2. sed etiam eos præparasse, Prou 8 v.  
27. hoc est firmasse sursum, ibid. 28. & solidissimos  
instar fusiliū areorū fabricasse Job 37. 19. Ita Delrius.

56 Huc spectat etiam, quod dicitur Psalm. 103.  
vers. 2. *Extendens cælum sicut pellem*, vel ut ad ver-  
bum sonant hebræa, *sicut cortinam, seu tabernaculum*.  
Et Isaiæ 40. vers. 22. *Qui extendit velut nihilum*  
(hoc est, facillime ac sine labore) *cælus, & expan-  
dit eos, sicut tabernaculum, ad inhabitandum*. Certè pel-  
lis, cortina, tabernaculum, rem solidam potius, quam  
liquidam denotant.

57 His accedit illud Job 14. v. 12. *Donec atteratur cæ-  
lum*: quod itidem corporibus solidis, non liquidis  
contenit. Item Isaiæ 51. v. 5. dicitur, *Cæli sicut fumus*  
*liquefcent, & terra sicut vestimentum atteretur*. Si er-  
go cæli primum in fine mundi liquefcent, sequitur  
profecto, eos iam liquidos non esse. Ad hæc Psalm.  
32. vers. 6. dicitur, *Verbo Domini cæli firmati sunt*.  
Et Proverb. 3. vers. 19. *Dominus sapientia fundavit*  
*terram, stabilivit cælus prudentia*. Eccles. 24. vers. 8.  
*Gyrum cæli circumiui sola*: Vbi siue gyrum cæli vocet  
gyrationem eiusdem, siue potius corpus ipsum ro-  
tundum, quod humano quasi loquendi modo cir-  
cui possit, utrius modo indicat, cælum esse soli-  
dum. Denique huc spectat illud Heb. 4. vers. 14.  
*Qui penetravit cælus*: nimirum iuxta verbi propri-  
etatem, & S. Thomam 3 p. q. 57 a. 4. ad 3. vera ac  
propria penetratione: quæ tamen locum non ha-  
beret, si cæli essent liquidi: Sunt ergo cæli, iuxta  
perpetuam scripturæ analogiam, aliquid firmum &  
stabile; non fluxum & liquidum. Vnde etiam 2. Pa-  
ral. 6. v. 33. & 39. dicitur *firmissimum, & firmum ha-  
bitaculum Dei*.

58 Nec obstat illud Isai. cap. 51. vers. 6. quod vel-  
uti ex interp. LXX. & Hebr. obijcitur: *Cælum*

*sicut fumus firmatum est*. Nam 1. in vulgata versio-  
ne, quæ præferenda est, legimus, *Cæli sicut fumus li-  
quefcent*; ut antea diximus; & ita etiam ex Hebræo  
refert Hieronymus in Commentario ibidem: vel  
ut ex Hebræo vertit Pagninus, *deficient*. 2. in He-  
bræo, non habetur, *firmatum est*, sed ad verbum, vt  
Arias Montanus in versione Pagnini vertit, *cæli sicut*  
*fumus consumpti sunt*. 3. Ex iplo textu, & interpre-  
tibus manifestum est, sermonem illic non esse de  
condicione cælorum, quam nunc habent, sed quam  
habebunt in fine mundi: ita vt præteritum (quod  
apud Prophetas frequens est) pro futuro accipia-  
tur. 4. in eundem proinde sensum etiam tex-  
tum LXX. interpretatur Sanctus Hieronymus i-  
bidem: nec potest vlla verisimilitudine aliter expo-  
ni; sicut nec Interpretum quiskum locuta hunc,  
ad eum qui obijcitur sensum exponit.

59 Secundò probatur conclusio autoritate vete-  
rum Scriptorum. Eam enim esse communissimam  
non solum veterum Rabbinorum, & Philoso-  
phorum, tam Aristotelicorum, quam Platonico-  
rum, sed etiam propè omnium Patrum & Docto-  
rum sententiam, satis patet ex testimonijs superius  
pro quarta sententia adductis.

60 Certè quod 1. Sanctus Petrus apud Cle-  
mentem firmamentum appellat, *aquam quasi ge-  
lu concretam, & crystallo solidatam*: 2. quod Basilius  
doct., firmamentum, esse corpus *firmum*  
*solidumque, quod cum dimensionibus & rebus, res-  
istereque potest*. 3. quod Ambrosius firmamen-  
tum speciem solidiorem esse; idque inter aquas soli-  
datum & stellis impressis quasi cælum esse dicit.  
4. quod Chrysostomus firmamentum, vocat  
*parietem & interstitium, quod in conuexo suo aquas*  
*ferat*. 5. quod Hieronymus, *Crystalum super Cher-  
ubim extensum, ac compactus & densiore aquas*. 6.  
quod Theodoretus naturam seu substantiam consi-  
deratam & condensatam. 7. quod Cyrillus, tanquam  
*formicem constitutum*. 8. quod Eucherius, *fortiter &*  
*firmè compositum*. 9. Iunilius, *ex substantia aquarum*  
*solidatum, instar crystallini lapidis*. 10. Gennadius, *ex*  
*fluxu & solubili natura, solidam & minime mobilem con-*  
*spirationem accepisse*. 11. Marius Victorinus, *duo soli-*  
*datum rigore*. 12. Anastasius, *ex aquis firmatum*. 13.  
Oecumenius, *firmiorem aquarum substantiam*. 14. Se-  
uerianus, *congelatione quandam crystallinam*. 15. Acacius,  
*ex fluxu aquarum natura solidissimi effectus*. 16. Anselmus  
Laudunensis, *in modum crystallini lapidis congelati*. 17. An-  
selmus Cantuariensis, *instar glaciei, imo crystalli solidati*.  
18. Beda, *ex aquarum substantia solidatum, & soliditate*  
*suffusum glaciis*. 19. Hugo Victorinus, *quasi*  
*crystallinum lapidem de aquis solidatum*. 20. Hugo  
Carenfis, *constans ex aquis congelatis in crystallum*.  
21. Petrus Comestor, *ex aquis congelatis, ad instar*  
*crystalli consolidatum & perlucidum*. 22. Glossa  
ordinaria, *de aquis instar crystalli lapidificatum*. 23.  
Dionysius Carthusianus, *ex inuulnabili auctoritate*  
*scripturæ solidissimum quasi ore fusum*. Item  
quod 24. Sanctus Thomas, 25. Guilielmus Pa-  
risiensis, 26. S. P. N. TIGNA TIVS. 27. Lipoma-  
nus, 28. Vielmius, 29. Pererius, 30. Delrius.  
31. Augustinus Steuchus, Deniq; 32. Alcanus Mar-  
tinengus: Quæ inquam hieriginta, &c. testes supe-  
rius citati, de cælorum maxime firmamento, seu cæli

syderei soliditate docent, ut alios innumeros & Theologiae scholasticos, Philosophiæque Doctores, & scripturæ interpretes omittam, tam sunt aperta & manifesta, ut nulla possint tergiversatione eludi, aut in alium sensum torqueri.

61 Vbi hoc etiam aduertendum est, Sanctos Patres hoc dogma non ex Philosophia, sed ex ipsa scriptura sacra hausisse; cum omnes ferè nitantur verbis scripturæ, quod Deus fecerit firmamentum in medio aquarum, &c. nempe ut ipsi intelligunt, substantiam solidam instar crystalli, vel glaciæ concretam, &c.

Qui verò in oppositam sententiam adducti sunt, Patres, & respectu istorum pauca sunt; & ex illis ipsis tamen, si de antiquioribus sit sermo, præter Gregorium Nyssenum, vix quisquam est, qui liquidè oppositam sententiam tueatur, ut magis inferius patebit.

62 Tertiò probatur ratione. Primò, quia admodum conueniens erat, ut aequè superiores & inferiores, toto genere diuersæ, ut dicitur Gen. 1. cum alioqui obliquiditatem saltem loco inter se committerent possent, durante hoc mortalitatis & corruptionis statu, solido corpore differenterarentur, ut antea ex Scriptura deduximus.

Secundo, quia vsus cælorum ad certos ac perpetuos quasi tot stellarum motus faciliè, vniiformiter, ac naturis rerum conformiter peragendos, id quodammodo deprecisebat. Non solum, quia alias magnoperè multiplicandus esset Intelligentiarum cælos mouentium numerus, præsertim stellarum inerrantium, atque etiam macularum solis, ut inferius dicitur, quibus in tam innumerabili propè numero, singulis ferè singulæ Intelligentiæ mortices foverent addende; quod esset multiplicare entia absque necessitate & sine causa: sed etiam quia tanta vniiformitas motus tam facile & commodè ab Angelis peragi non posset; vel ob eam etiam causam, quod ea ratione necesse foret, Angelos ipsos cum stellis (quas non nisi præsentibus mouere possunt) circumuolui.

63 Tertiò, Ipsa subordinatio motuum in tam conformi, ut ita dicam, diffinitate, qualis in planetis cernitur, indicat, orbium circumferentium subordinationem: qua inferiores à superioribus moueantur. Et minimè probatur, quod recentiores quidam dicant, vnum & idem corpus totum non posse diuersis motibus, & aliquo modo oppositis moueri. Contrarium enim non solum Philosophis & Astro-nomis hæcenus comuniter persuasum fuit; esto interim, in astrorum motu res aliter fortasse possit explicari: sed patet etiã quotidiana experientia, quando in rota currus aut molendini muscam aut formicam liberè discurrentem quotidie aspiciamus, &c. Hoc potiùs absurdum est, eandem rem oppositis motibus per se moueri, quod si non aliunde, certè soliditate orbium deuiatur.

Quartò. Euitari vix potest, quin sonus ingens ab astris excitari dicatur, dum tanta tamque incredibili vi & celeritate à tam vastis corporibus liquidum corpus vndique intersecatur ac perumpitur.

Quinto, si ut isti authores dicunt, primo vel secundo die cæli per attenuatorem & rarefactionem ex aquis elementaribus facti essent, non esset locus, in quo reliquæ aquæ faciliè consisterent,

saltem ante astrorum productionem, quæ primum, quarto die facta est.

Denique magis quodammodo artificij celestis decor & excellenti commendatur, si celestis machina mobilis, ex multis varijsq; orbibus seu spheris, velut in horologio rotato, affabrè & artificiosè fabricatis ac inter se compositis constet. Itè si celeste corpus stellis velut gemmis quibusdam ac lapillis preciosis, eidem corpori insertis & infixis, quasi cælum sit, quàm si liquidum vnde quaque corpus esse ponatur, in quo stellæ velut in mari pisces innant.

64 Et confirmatur assertio. Quia nulla esse potest experientia, vel ratio Mathematica, siue ex nouis stellis, siue ex parallaxeos obseruatione desumpta, quæ firmamentum liquidum esse conuincat. Cum enim ipsa etiam Saturni stella, quæ tamen infra firmamentum est, parallaxi careat, nulla ratione ex parallaxi, eiusque defectu colligi potest, vllam stellam nouiter visam, supra Saturnum, ac in ipso etiam stellarum inerrantium cælo positam esse. Si quis ergo firmamentum ipsum, seu cælum stellarum fixarum liquidum constitueret, is hoc pro libito tantum ac sine ratione, atque vti contra communem scriptorum sacrorum & prophanorū sensum, ita temerè profectò faceret.

65 Assertio III. Etiam cælos planetarum esse solidos, hæcenus multò est probabilis. Est itidem, communis Sanctorum Patrum, Scholasticorum, & Philosophorum sententia, ut in explicatione secundæ sententiæ dictum, qui vniuersim de cælo sydereo loquuntur. Probatur ferè ex dictis. Si quidem allata Scripturæ loca pro cælorum soliditate, indefinitè ac pluraliter de cælis loquuntur. Cæli enim apud Iobum dicuntur quasi are fissi: de quo loco supra superius assert. 1. Item apud Isaiam, cæli sicut fumus liquefcent, &c. Potissimum autem est, quod ex firmamenti appellatione, iuxta Scripturæ phrasin, desumitur. Manifestum est enim, cælum non solum stellarum inerrantium, sed etiam planetarum intelligi in scriptura nomine firmamenti, ut patet Gen. 1. v. 16. *Et creauit Deus duo luminaria magna, luminare maius, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti, & stellæ: & posuit eas in firmamento cæli, ut lucerent super terram, & præessent diei ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras.* Vbi aperte intelligis, non solum stellæ inerrantes, sed etiam duo luminaria magna, solem videlicet ac lunam, in firmamento, quod solidum esse iam antè probauimus, posita esse. Huc etiam spectant rationes antea allatæ.

67 Ad primū argumentū, pro prima sententiâ, aduersus soliditatem cælorū superius allatū respondetur, motum idèò comuniter in Scriptura non cælis, sed astris attribui; tum quia istorum tantum non autem cælorum in se, motus ad sensum conspicuus est; tum quia altra sunt quiddam præcipuum in cælis; qui stellarum quasi vehicula sunt. Sicut ergo vulgari sermone, si quis equo, aut curru iter faciens, ad destinatum locum perueniat, dicere solemus, non equum Socratis, aut Platonis, sed Socratem, aut Platonem iter facientem, hanc aut illam ciuitatem ingressum fuisse; ita sicubi philosophandum ex instituto non est, planius & accommodatiùs ad hominum mores dicimus, stellæ moueri, quàm cælum, quamuis interim vtraque moueantur.

68 Ad secundum responderetur, in cælo, cum sit corpus sphericum, centrum mundi æqualiter ambiens, summum & infimum, seclusa densitate, proprie in nulla sententia reperiri. Dicitur tamen sol à summo cælo ad summum moueri, quia ab vno puncto cæli, secundum cogitationem immobili, redit ad idem.

Ad tertium responderetur multitudinem ac varietatem corporum eiusmodi, bellè inter se compositorum ac subordinatorum, tantò esse elegantiorum, quantò varietas est maior; vt patet tum in humano corpore, tum in horologio rotato affabrè concinnato: neque superuacaneum dici potest, sine quo decor vsusq; rei opportunus periret. Quod verò de refractione varia astrorum inde consecretura obijcitur, in fine sequentis dubij diluetur, vbi etiam ad phænomena noua particulatim respondebitur.

Ad auctoritatem Sanctorum Patrum, in contrarium adductorum, præsertim pro prima sententia (de reliquis enim ferè iam dictum) respondeatur primò, etiamsi concederemus, omnes illos contrariam sequi opinionem, eos tamen non præiudicare posse nostræ sententiæ, quæ multò plurimum SS. Patrum auctoritate, firmiteribusq; argumentis munitur, vt dictum.

69 Responderetur secundo, præter vnum Gregorium Nyssenam, de ceteris antiquis Patribus firmiter non colligi, sensisse eos, cælos esse liquidos, etiamsi dixerint, stellas, non cælum moueri: hoc enim sentire potuerunt illi, quamuis cælos existimarent esse solidos. Quia, vt rectè notauit Albertus Magnus 1. p. quæstione 4. artic. 19. quidam antiqui dixerunt, quòd eccentrici & stella transiunt per corpus, quòd est inter sphaeras, & tamen non diuidunt ipsum; & hoc contingit propter formalitatem illorum corporum, sicut & lumen transiit per aerem.

70 Idem notauit Sanct. Bonauentura in 2. sent. d. 14. p. 2. artic. 1. quæstio. 2. vbi de Mathematicis ad quoddam Physicorum argumentum respondentibus ait: *Ad obiectionem autem naturalium de corporis illius (cælestis) continuitate, respondens diuersimodè dicentes, quòd non est inconueniens, si corpus illud scindatur motu planeta, quia est natura ignea. Alij dicunt, quòd corpus illud non scinditur, & planeta pertransiens: corpus enim lumen simul potest esse cum alio corpore.* Hæc de Mathematicis Bonauentura. Et certè non defuerunt ex ipsis etiam Patribus, qui lumen, vti & Angelos existimarent esse corpora; nihilominus tamen concedebant, alia corpora ab ipsis penetrari posse indiuisa.

Idem cernere speciatim licet in Procopio commentar. in Genes. cap. 1. qui cum disertè docuisset, stellas moueri, non cælum, vt supra vidimus, tamen ibidem refert, nec refellit, *via per uulgata omnium Theologorum, firmamentum ex aqua compactum esse, idque ab hebræis dici Samaim, quia dictio crystallum, vel aquam congelatam denotet.*

71 Speciatim verò, quòd ad Diodorum, & Philastrium attinet, à quibus nonnulli malè autumant, sententiam nostram *velut errorem gentilem, aut hæresim damnari, certum est, & perspicuum, si attentè legatur, eos minimè pugnare contra cæli soliditatem, aut stellarum in cælis ipsis firmam collocationem;*

sed solum contra Philosophos Pythagoricos, seu Aristarchicos, qui de motu diurno loquentes dixerunt, terram moueri, sidera vero ac stellas permanere immobiles. Hanc sententiam non immeritò errorem vocant, vt pote Scripturæ Sacre aperte contrariam, vt quæst. 4. dub. 3. dicimus: interim vero stellas vnà cum ipsis etiam cælis moueri, quibus infixæ sunt, minimè negant. Patet hoc ex verbis ipsius Diodori, quando *dogma gentile* vocat, *neque cælum moueri.*

Idem patet ex Philastrio, quando vt illam, quam hæresim esse dixerat, refellas, pluribus ex Scriptura probat, stellas moueri, non quiescere: *Scriptura enim, subdit mox ibidem Philastrius, omnipotentiam Deus ita edocet, vt in breui è diuersis thesauris concurrere atq; discurrere sidera nuntiauerit, &c.* Quod verissimum est, siue cæli interim solidi sint, astraq; sibi infixæ circumferant, siue sint liquidi; ita vt astra in illis, vel in mari pisces circumnataent. Itaq; iuxta Diodorū, non est *dogma gentile*, dicere, cælum esse solidum, & vnà cum stellis circumuolui, sed potius non circumuolui, & iuxta Philasticum hæresis est, stellas ita cælo affixas dicere, vt non moueantur, quemadmodum antiqui quidam Philosophi dixerunt; infixas autem cælo dicere, & vnà eū cælo moueri, nulla apud Philastrium hæresis censetur. Vt taceam, alia nonnulla quidem à Philastrio in hæresibus numerari, quæ tamen hæreses non sunt. Insimulat enim, vt eiam Pererius notauit in Gen. c. 1. v. 1. hæreseos, eos, qui dicunt, Moysen nomine terræ in principio creatæ, significare voluisse terram hanc nostram elementarem; cum à Moysè significetur alia quadam terra, quæ est velut matrix omnium rerum, *quam scriptura vocatur Hele, hoc est, materia inuisibilis & incoposita, quæ à Deo facta est in principio; hæc autem nostra terra facta est deinde, & fundata super aquam, sicut dixit David, qui firmavit terram super aquas: illa matrix omnium rerum terra, immensa est, & aquam, & terram vi sua continens.* Plura in hunc sensum disserui in Astrologia sacra.

### DUBIUM III.

#### An soliditati vel incorruptibilitati calorū obstent noua phænomena.

Ad S. Thomæ 1. p. q. 68. a. 1. & 4.

#### §. 1. Proponuntur noua Phænomena.

Quæ de incorruptibilitate, & soliditate cælorum, ex Scriptura sacra potissimum, ac Sanctis Patribus disseruimus, atque hæcenus annis amplius quadringentis magno consensu in scholis Theologorum, & Philosophorum receptæ fuerunt, non magnopere hodie in dubium ac controuersiam vocarentur; nisi noua quadam astrorum phænomena obsistere viderentur: quæ partim à Tychone ingentibus ac nouis illis machinis astronomicis; partim ac potissimum post eius mortem, nouo tubo optico, quasi nouis oculis, Galilæo magna ex parte indice, non solum, à

Math-

Mathematicis, sed alijs etiam quamplurimis conspecta sunt, atque etiamnum magna ex parte conspiciuntur. Quæ breuiter hoc loco expendenda sunt, ne quid constituta hæc doctrinæ præiudicent. Huius generis sunt hæc potissimum.

2 Primò enim per tubum opticum luna, quando plena non est, sed corniculata, potissimum verò in quadrantum intersectionibus, secundum lineam, quæ lucidum segmentum ab opaco diuidit, admodum aspera & inæqualis apparet; adeò vt recentiores quidam Mathematici, editis libris celebres, nil dubitent affirmare, corpus lunæ re ipsa planè inæquale, ac asperum, varijque lacunis, vallibus, montibus & collibus vndique oblitum esse. Imò non nemo ex illis suspicari videtur, quod olim Xenophanes apud Ciceronem lib. 4. qq. Academicarum opinatus est, habitari in luna, eamque esse terram multarum urbium & montium. Quod si verum est, negari vix potest, lunam esse corpus corruptibile.

3 Secundò in cælis sæpe apparent ac disparent cometæ aliæque nouæ stellæ; quas luna altiores fuisse, Mathematicorum frequentes nunc obseruationes, adiuncta parallaxis potissimum ratione, videntur conuincere. Certè Tycho Brahe diligentissimus harum rerum obseruator lib. 2. de mundi ætherei recentioribus phænomenis cap. 10. memb. 1. pag. 246. disertè his ipsis verbis scribit: *At ego non solum hunc (Cometam Anni 1577.) sed omnes alios cometæ, qui prius orbi illuxerunt, nequaquam sublunares & elementares existisse iudico, sed in ipso remotissimo æthere, non minus quam hunc, cursum sibi naturaliter inditum ordinariè exercuisse. Quæ enim ex historijs de cometis superioribus seculorum adferuntur, ea non sunt eiusmodi, vt inde comprobari possit, an in cælesti, vel elementari mundo existerint; nisi forte cum præiudicio Aristotelis auctoritati vbiq. subscribere velimus. Neg enim quis ex ipsa arte, certaque obseruatione, huic positioni contrarium quid ostenderet; nisi forte summi illius Mathematici Iohannis Regiomontani, & in arte hac etiam excellentis viri Iohannis Fogelini Ptenensis Mathematici obseruationes nobis opponere velit; Quæ quo loco habenda veniant, & quantum illis tribuendum sit, alibi oportuniore loco vberius declarabo. Hæc Tycho. Imo Epist. ad Rottman. Anni 1595. 14. Ianu. addit cum Rottmanno, pro stupidis & insulsis habendas, qui cometæ sublunares esse asseuerare in posterum audeant. Quæ si vera sunt, defendi sanè posse non videntur, absque noua cælestium eiusmodi corporum generatione, & corruptione; cuius proinde nec cælestis substantia omnino expers est. Accedit, quod quædam stellæ videntur suam mutasse magnitudinem. Spica enim virginis, vt referunt, quæ olim habebatur stellæ inter omnes ferè fixas maxima, nunc, vt aiunt, multò diminuitur videtur.*

4 Tertiò. Sed maculæ solares (quas supra lunam esse dubitare nullus potest) cum quotidie propè nouæ oriuntur, aliæ occidunt, nec ynquam postea redire deprehendantur; sed & quod maximam difficultatem parit, in ipso etiam medio solis disco non ynquam repente quasi dispareant vel appareant; aliquando plurium dierum spatio, nullæ penitus sub sole conspiciuntur: planè conuincere videntur, cælum perpetuè generationi & corruptioni obnoxium esse; cum ea phænomena aliter explicari possent.

non videantur, quàm noua ipsarum macularum, (qualia qualia demum sint corpora) generatione, & corruptione. Idem argumentum sumitur à faculis solaribus, quæ itidem variè occidunt, oriuntur, & mutantur; non aliter quàm ipsæ maculæ solares.

5 Quartò. Mercurius & Venus, vt nouis obseruationibus, etiam ipsius Tychonis Brahe, ac nouo nunc experimento per tubum opticum (quod instar lunæ, aliàs quidem plenæ & orbiculatæ; subinde verò, vt in Venere ipse etiam plus quàm centies, magna cum animi voluptate obseruauit, deficere & in cornua contrahi videntur) deprehenditur, solem proprio motu circumeunt: quod fieri non posse videtur; nisi cælum sit liquidum. Deberent enim aliàs ipsum solis cælum penetrare, aut rumpere. Eandem, imò longè maiorem difficultatem parit Mars; qui iuxta Tychonis itidem obseruationes & hypotheses, ipsum etiam cælum solis magno spatio intersectat.

6 Quintò. Similiter per tubum opticum circa Iouem deprehensi sunt noui planetæ, seu stellæ Iouiales quatuor; quarum singulæ proprio ac distincto motu Iouem circumeunt. Quod itidem fieri posse non videtur, nisi cælum sit liquidum; solidum enim necesse foret, aut rumpi, aut penetrari. Huc spectant etiam duo indiuidui comites Saturni, qui Saturnum tanquam satellites circumstant.

Sed hæc, quanquam magna ex parte difficilem, in omni sententia, habent explicationem: (quomodo enim tam vasta & ingentia corpora, toties ac tam subito, in cælis naturaliter generari, ac identidem interire possint?) quantum tamen comperta & obseruata hæc fuerunt, talia non sunt, vt receptam ac probatam de soliditate & incorruptibilitate cælorum sententiam conuellere aut labefactare debeant: cum probabilibus vt cunque rationibus defendi ac explicari possint pleraque, etiam stante cælorum soliditate & incorruptibilitate: vt ex sequentibus fiet manifestum; quæ claritatis causa in plures paragraphos diuisa placuit.

#### S. II. Notationes, ac Fundamenta eorum, quæ dicuntur.

7 Priusquam autem rem aggrediar, quasi fundamenti loco hæc tria constituo. Primum, audiendos non esse illos, qui Mathematicas rerum eiusmodi cælestium obseruationes vniuersim negligendas, aut nihili faciendas, nec, si noui quippiam adferant, vllam eis fidem habendam, existimant. Odijalicuius hoc esse videatur potius aduersus pulcherrimam, sed incognitam artem; quàm prudentis iudicij. Quare nec probo, quod ex Xenophonte de Socrate refert Eusebius Cæsariensis lib. 14. præparat. Euang. cap. 4. docuisse Socratem, *Geometria studendum plus non esse, quam quantum sufficeret ad mensurationem agrorum ac distributionem: quod adeò facile cuius sit, vt si quis diligenter animaduertat, quamprimum agrum quantitatem cognouerit, mensurationem ignorare non possit. Similiter & Astronomiam discendam, vt dies ac noctes, horas & menses, & annos rectius percipiamus, &c. eoufque autem Astronomiam discere, vt planetarum motus, & distantias eorum à terra comprehendas, vehementer improbandum.*

8 Nec id etiam probo, quod Eusebius ipse ibidem.

ex suo sensu pronunciat, nihil Astrologiam, Arithmeti-  
 ticam, Geometriam, Musicamque ad inueniendam veri-  
 tatem afferre: quanquam nec illud omni ex parte  
 probò, quod gentiles Philosophi, contra quos ibi-  
 dem differit Eusebius, dicebant, Si disciplinarum (ma-  
 thematicarum) cognitio animum non formauerit, nul-  
 lum recte philosophari, nec Deum cognoscere posse. Ita,  
 quasi Deus ipse numeris teneatur, inquit Eusebius, nos  
 qui eas disciplinas non admiramur, pecudes esse arbitran-  
 tur; nec magni aliquid posse nos intelligere contendunt.  
 Imò plane fateor, non solum Mathematicas disci-  
 plinas, sed eas ipsas cœlestium phænomenon obser-  
 uationes, sæpe tam ad res diuinas, quam naturales  
 cognoscendas, apprime vtilis esse; neque adeo ab  
 antiquis omnia huius generis in lucem prolata fuisse,  
 quin nouis curis illustrari possint. In quo etiam à  
 Rottmanno non incelebri Mathematico dissentio,  
 qui ad Tychonem, vt in eiusdem epistolis pag. 131.  
 videre est, scripsit, Hypotheses cometarum constituere,  
 profusa superuacaneum iudicio; cum nullum periodum ab-  
 soluat; nec etiam vlla utilitas inde redundare possit: Imò  
 potest, si veris obseruationibus sobrius accedat  
 iudicium: nisi forte in particulari aliquo casu pru-  
 denter iudicetur, cometæ, aut stellæ cuiuspiam nouæ  
 motum, certum & regularem non esse, vt inferius  
 dicitur: quanquam & hoc ipsum iudicium magna  
 ex parte ab obseruati motus ratione dependet.

9 Agnouit id in primis ipse Aristoteles, lib. 2. de  
 cœlo cap. 7. tex. 34. vbi de motu cœlorum ac sydæ-  
 rum agens, Forte, inquit, de quibusdam enuntiare ali-  
 quid tentare, & de omnibus, & prætermittere nihil, vi-  
 debitur vti que esse signum aut multa amentia, aut mul-  
 ta promptitudo. Non tamen iustum est, omnes similiter  
 increpare, sed oportet videre causam dicendi, quanam  
 sit: præterea quo pacto se habent in credendo, vtrum hu-  
 mano modo, an validius. Certiores igitur necessitates quæ-  
 do quis fuerit affectus, tunc gratiam habere oportet inue-  
 nientibus: nunc autem id quod videtur dicendum est.  
 Vbi Aristoteles non solum suam de his rebus hæsi-  
 tationem candide prodit, sed simul etiam monet, non  
 omnia quæ nouiter eo in genere afferantur, repu-  
 dianda; imò gratiam habendam iis, qui rectius ali-  
 quid demonstrauerint. Et lib. 12. Metaph. c. 8. tex.  
 45. vbi itidem de motibus cœlorum ac stellarum,  
 adeoque de numero sphaerarum agit, quid de Ma-  
 thematicorum obseruationibus sentiat ipse, ita de-  
 clarat: Cum enim dixisset, plures esse eorum, quæ  
 feruntur lationes, manifestum etiam esse his, qui pa-  
 rum attigerunt: pluribus enim, quam vnâ errantium  
 astrorum vnum quod quod fertur, subiungit: Quot  
 vero hæ sint, nunc quidem nos ea, quæ quidam Ma-  
 thematicorum aiunt, intelligendi gratia dicimus, vt  
 aliquam determinatam mente pluralitatem perci-  
 piamus, Deinde quædam quidem nos ipsos quære-  
 re decet; quædam autem à quærentibus sciscitari; si  
 quid præter ea, quæ nunc dicta sunt, his videatur, qui  
 circa hæc versantur; diligere quidem vtrosque, ad-  
 hære vero certioribus.]

10 Et mox subiungit Eudoxi & Calippi veterum  
 Mathematicorum opinionem; quorum vterque  
 plures sphaeras astrorum; hic autem quinquaginta  
 quinque, aut si quis lunæ & soli non addat, quos  
 Aristoteles dixerat motus, septem & quadraginta  
 constituerit. Sed & ipse etiam Aristoteles eiusmodi

cœlestium phasinatum, & cometarum obseruatio-  
 nes à philosophi professione non existimauit alic-  
 nas, vt libro primo Meteor. capite tertio videre est;  
 vbi inter alia, Non errantium cometam accipiunt qua-  
 dam. Et hoc non solum Aegyptijs ( Mathematicis )  
 credere oportet: sed & nos vidimus. Earum enim  
 quæ sunt in fenore canis stella quædam habuit cometam;  
 obscuram tamen, &c. Ex quibus patet, Philosopho  
 imitandas potius, non spernendas Mathematico-  
 rum obseruationes; neque fidem ijs vniuersam ab-  
 rogandam; sed cum diuersa etiam ipsi sentiunt, dili-  
 gendos quidem, vt inquit Aristoteles, vtrosque; ad-  
 hendum vero certioribus, vt mox dicitur.

Secundò igitur statuo, etiam quidem vniuersim,  
 obseruationibus Mathematicorum fides denegan-  
 da non sit. nec posse tamen, nec debere, promil-  
 cuè, ac sine delectu, fidem, adhiberi omnibus.  
 Monuit hoc Aristoteles loco citato, & probat eu-  
 dens ratio. Primò: quia sæpe non solum diuerso-  
 rum obseruatorum, sed eiusdem etiam obseruatio-  
 nes inter se pugnantibus sunt & contrariæ, vt vna ver-  
 bi gratia, aliqua locum cometæ infra lunam aut so-  
 lem, alia etiam supra firmamentum ostendat, &c.  
 è quibus necessarium est, aliquas esse falsas. Se-  
 cundò, quia plurimæ possunt esse causæ, quæ inter  
 obseruandum erroris ansam præbeant, vt inferius  
 patebit. Tertiò, quia hæc multum pendent ex  
 autoritate & fide asserentis; quæ iustis certisque  
 causis meritò aliquando suspecta esse potest.

11 Accedit, quòd nec obseruatores ipsi suis ob-  
 seruationibus omnibus promilcuè ac sine delectu  
 fidem habent: propterea omni phænomeno sæ-  
 pe iam desisto, diu multumque eas inter se confe-  
 runt, vt seligant eas, quæ aut veritati, aut propo-  
 sito scopo videntur conuenientiores; alias rejici-  
 ant: nec facillè patiuntur, vt cum alijs prius  
 comunicentur, quàm ab ipsis eo examine fue-  
 rint comprobata & lustrata. Imò nonnunquam  
 ipsimet suas obseruationes etiam editas retractant,  
 vt videre est in Thaddæo Hagecio, cuius hæc verba  
 apud Tychonem libro secundo, de mundi æther.  
 recent phænomen. capite decimo, membro secundo,  
 pagina 366. in proxima cometa Anni 1577. ob cau-  
 sas supra assignatas, parum diligentiam adhibere non  
 potui. Itaque minimo negotio euenire potuit, vt mihi  
 quoque in meis dedementis aliquis error obrepserit. Nam  
 ipse nunc demum in secundis hisce meis cogitationibus  
 animaduerti, parallaxim à me assignatam accepta di-  
 stantia cometa, diuersis horis, à vniuersis stellis, & vix  
 quatuor aut quinque scrupulis variata, respondere  
 non posse. Itaque illum quoque cometam supra lu-  
 nam collocandum censeam. Itane iam, censes;  
 qui antea infra lunam, fuisse, ex parallaxibus  
 demonstrare tibi visus es, vt ipse etiam Tycho re-  
 fert pagina trecentesima decima octava, quem ip-  
 sum tamen etiam suas obseruationes nonnunquam  
 retractasse dicitur §. 5.

12 Quoties igitur iustis rationibus constat,  
 obseruatorem aut volentem fallere, aut no-  
 lentem falli; fides ei meritò derogatur: quan-  
 do & Scriptura & prudens ratio docet, citò ac  
 sine circumspectione & delectu credere omnia,  
 prudentis non esse.

13 Obser-

Observauit hoc, si quis alius, cum primis Tycho ipse; qui variis admodum modis aduersarias obseruationes aliorum, qui ex suis obseruatis cometas infra lunam constituerunt, idque sibi demonstrasse, etiam visi sunt, ut fidem illis detraheret, suis stabiliret, infirmavit. Narrabo eas, quas inter legendum, in ipsius lucubrationibus ipse obseruauit. Primum, obseruationes ipsas generatim quandoque reprehendit, tanquam non exactas. Ita lib. 2. de mundi ætherei recentioribus phænomenis, ubi agit de cometa. Anni 1577. cap. 10. memb. 1. pag. 246. Ioannis Vogelini Mathematici Viennensis, quem tamen appellarat, *in ea arte excellentem virum, obseruationes infirmat: Id saltem, inquit, hic breuiter indicabo, Vogelini datâ, è quibus parallaxin eruere conabatur, non fuisse exacta.*

14 Secundo nonnunquam ait, obseruationes, aut hypotheses inde deductas, ex præiudicio Aristoteleæ autoritatis processisse. Ita respondet ibidem ad obseruationes summi illius, ut ipse ait, Mathematici, Ioannis Regiomontani; cum mox in eodem verborum antea relatorum contextu subiicit: *Et Regiomontanum potius Aristotelica autoritate inducitur, per parallaxin sex partium cometa Anni 1475. assignasse, quam è certis obseruationibus eâ fuisse tantâ, citra omne dubium expertus sit. Nec enim Mathematica è certis obseruationibus rem omnem, ut decuit, demonstrauit. Eadem exceptione vititur inferius contra eundem num. 8.*

15 Tertio excipit, non fuisse habitam rationem motus proprii, in parallaxibus constituendis. Ita ad eiusdem Regiomontani obseruationes respondet ibidem pag. 250. *Taceo, inquit, quod motus proprii cometarum in his (rationibus peruestigandi parallaxin à Regiomontano traditis) nulla habeatur ratio; & non aliter, quam raptu primi mobilis agitari præsupponatur; quod in nullis cometis hætenus, quod sciam, animaduersum est. Excipio nouam illam ad Casiopeam stellam, quæ ultra annum tempus in vno eodemque firmamenti loco immota conspiciebatur; ideoque in ipsa octaua spheræ, cum reliquis fixis sideribus, locum sibi vendicabat. &c. Iusta sane exceptio, si summus Mathematicus motus proprii cometarij, in suis obseruationibus, & hypothesibus constituendis, nullâ plane habuit rationem.*

16 Quarto excipit, non satis omnia considerata esse obseruatorem, vel inter obseruandum, vnam stellam, pro alia per incuriam assumpsisse. Ita Tycho, cum, cit. cap. 10. memb. 2. pag. 318. retulisset eos, qui cometam Anni 1577. nullatenus supra lunam, sed longe infra cursum suum confecisset, ex suis obseruationibus concluderunt: *[Qui vero, inquit, rem ita se habere demonstrare conati sunt, hi præsertim inueniuntur D. Thaddæus Hagecius, ab Hayck, qui parallaxin eius in altitudine 38. proxime part. fuisse graduum quinque, & aliquot scrupulorum, asseuerat; M. Bartholomæus Scultetus Gorliciensis in altitudine 29. part. eandem in circulo verticali assignat G. 5. m. 22. D. Andreas Nolthius Embeckensis in elevat. 33. part. diuersitatem aspectus 5. grad. 32. scrup. constituit; His accedit quartus D. Nicolaus Wincklerus Halæ Sineuorum Physicus, qui se parallaxin eius inuenisse putat P. 6. M. 50. etiam tum cum altitudinem obtineret, 46. part. Ex his quatuor præstantium, inquit Tycho, & in disciplinis Mathematicis apprime erudito-*

tum virorum obseruationibus, & consentientibus suffragiis, cometam hunc in sublunari mundo extitisse, quis non crederet? Cum tam prope in vnum consentiant, parallaxin eius lunari (quæ nunquam iuxta Copernicum maior est G. 1. M. 6. secundum Ptolomæum p. 1. M. 44. idque in ipso horizonte) multo maiorem extitisse, ideoque nequaquam in æthere ipso generationis locum obtinuisse; præsertim cum tres priores in ipsa quantitate parallaxeos admodum prope conueniant, & quartus vno circiter gradu saltem maiorem, quam illi reddat; adeo ut ex omnibus his quatuor, cometam hunc non altius recessisse à nobis, quam sit distantia 8. vel 9. semidiametrorum terræ, pariter colligatur; cum tamen luna terris proxima iuxta Copernicum (cuius sententia hac in parte Ptolomaica verior existit) 52. ad minus remoueatur semidiametris, ideoque sexties fere tantum spatii à terra ad lunam, quantum ab hac eadem ad cometam, si veritati consona foret eorum opinio, interciperetur: quæ an ita se habeant, deinceps ordine explicabimus.] Cum inquam hæc ita sibi obiecit Tycho, atque pag. 366. respondisset, Hagecium seipsum, ac suas demonstrationes siue obseruationes, ut superius dictum, retractasse; ad Scultetum doctissimum etiam, ut ipse ait, Mathematicum, ita respondet pagina 376. *Oportet igitur scultetum vel non satis accurate hæc considerasse, vel vnam stellam pro alia per incuriam assumpsisse. Ita de vno imprimis erudito in Mathematicis Tycho.*

17 Quinto excipit Tycho, partim computum non subfistere, partim temporis inter obseruandum elapsi, horologii vitio, non fuisse debitam rationem habitam. Ita respondet Tycho ad Nolthium antea obiectum, pag. 428. *[Ex his, inquit, liquido patet, parallaxin primæ obseruationis (à Nolthio annotatam) pag. 5. min. 31. fere excedere Nolthij inuentionem aliquanto plus dimidio gradu, parallaxin vero secundæ grad. 5. min. 51. ipsius annotatione tertia parte gradus superare: quæ differentia non admodum magni momenti forent, si alias hæc parallaxes in ipsis gradibus recte se haberet. Nisi enim quis in hac calculatione subtilissimæ quælibet scrupula secunda colligat, ob tot angulorum & laterum mæandros, facile aliquot scrupulorum primorum, vbi ad finem deducta fuerit operatio, iacturam patietur. Verum enimvero in ipsis primis præsuppositis, vnde hæc parallaxes deriuantur, adeoque in ipsa obseruatione, non leuis Nolthio error necessario obrepit, qui eas in tam enormem quantitatem incompetentem adauxit; idque potissimum temporis inter lapsi non eâ, qua oportuit subtilitate, animaduersi vitio. Verosimile enim est, Nolthium per horologium aliquod, interstitium ab vna hora in alteram deriuasse; ideoque plane integram horam vtrique obseruationi, absque vllis scrupulis interceptam, arripuisse, instituendo forte primam obseruationem, cum horologium plenam horam indicaret aut sonaret, & differendo posteriorem, donec cursus mox sequentem horam monstraret, vel sonitu ederet: qua in parte quam procliuus ad errandû fuerit via, nõ ignorat, qui horologiorû et eorû, quæ singula scrupula subtiliter dispartunt, cõfectione & vsû diu-*

turum sibi familiarem reddiderunt. Licet enim omnia exactissima amulli affabre in iis elaborentur, nihilominus vel sola alteratio aerea qualitatis, motum inaequalem suggerere, & latentem errorem insinuare potest, ita vt singulae horae sibiipsis inuicem exacte aequales non euadant; vt vt forte aliquando omnes 24. absolutae & simul sumptae reuolutioni solis diurna satis apte corresponsdeant; quamuis & hoc rarissime per aliquot continuos dies ita praecise concedatur, vt non vnum vel alterum scrupulum primum a iusta restitutione excidat. Quam vero subtilis & exacta temporis intermedii mensura in hac pragmatica requiratur, vbi per Regiomontanam methodum parallaxes perquiruntur, vel hinc patet, quod saltem terna scrupula prima, cum quarta parte, desiderentur in tempore a Nolthio praesupposito, vt ex iisdem altitudinibus & Azimutis cometam omni parallaxi destitutum fuisse sequeretur. Pro hac vero tantilla, & quasi momentanea temporis portione, quae vel inter obseruandum, dumque instrumentum ordinatur, oculique & cetera requisita applicantur, furtim elabi potest, quis ratam certitudinem polliceri audeat? Et ne ipsum quidem Nolthium pro his tribus scrupulis fidem interpositurum existimo.]

18 Sexto etiam opponit Tycho, Instrumenta, quibus peracta fuit obseruatio, forte non fuisse exacta. Ita post ea, quae diximus, respondet ad eisdem Nolthii obseruationes ibidem: [Fieri etiam, inquis, potuit, vt in reliquis etiam dedomenis, nempe Azimutis & altitudinibus, aliqua se se vna insinuat aberratio. Quam enim difficulter haec duo simul per aliquod instrumentum cœlitus obtineantur, ea praecisione, vt in ipsis scrupulis primis omni erroris suspicione careant, (quod sane in hac pragmatica valde requiritur) norunt ii, qui Mathematicam Astronomiam exercitationem, variis organis, tum magnitudine & forma, tum etiam diuisione, & pinnaculorum, perpendiculique, ceterorumque requisitorum infallibili applicatione, nulli sensibili vitio obnoxiam, diu multumque in vtu habuerunt; qui tamen nostro aëro vel phœnice Arabico rariores inueniuntur.] Multum est hoc, tam rara esse instrumenta, quae in ipsis etiam scrupulis primis, dicto modo denotandis, omni erroris suspicione careant.

19 Septimo opponit Tycho, ratiocinationem seu collectionem ex datis obseruationibus sibi non cōstare. Hac ratione Wincklerum expedit loc. cit. pagin. 447. [Apparet itaque, quo loco ea, quae a Wincklero in hoc cometa, circa parallaxes & apparentias eius, in medium prolata sunt, reputanda veniant; quamque ab ipsa veritatis inuestiganda seruita citra omnem verecundiam exorbitent. Quis enim non videt, ex ipsis insulsissimis ratiocinationibus, cometam sublunarem fuisse, eamque quam illi attribuit parallaxia exhibuisse, minime coniectarium esse?]

20 Octauo opponit Tycho, obseruationes sibiipsis non consentire. Ita Tycho in epist. ad Rottmannum data Anno 1588. die 17. Augusti pag. 113. Regiomontani, inquit, annotationes sibiipsis non consentiunt: neque ad spicam virginis cometae tam velocis parallaxis villo modo indagari potuit. Et mox rursus ibidem subiungit, ex praedicta Aristotelis sententia

processisse: *is itaque, inquit, cum Aristotelis assertionibus nimium consideret, si quam coniecturam de parallaxi aliqua, quae eum sublunarem redderet, per incuriam aliquam adeptus est, eam mordicus pro veriori retinuit: videtur enim in hoc plurimum laborasse, vt quam maximam erueret.* Itaque in his etiam nonnunquam valet affectus, si Tychoni credimus, vt variis obseruationibus seu coniecturis diuersis, ea mordicus pro veriori retineatur, quae magis ad affectum defertur, in eoque etiam plurimum laboratur, vt talis eruat.

21 Nono excipit, obseruationes vnius obseruatoris non consentire cum aliorum obseruationibus. Ita mox ibidem subiungit Tycho: *Vogelini obseruationes admodum erroneae sunt; nec consentiunt in eodem cometa cum iis, quae a Petro Appiano & Fracastorio prodita inueniuntur, vt alibi latius ostendam.*

22 Decimo opponit, perpendiculum quadrantis ad obseruandum adhibiti non fuisse bene directum. Ita in literis ad Wilhelmum Landgrauium Hassiae Anni 1592. 20. Februarii pag. 267. *Scriptis in super, inquit, Celsitudinis tuae Mathematico (Rottmanno) de octodecim illis minutis (sane magnus numerus) quae in obseruationibus cometae Anni 1580. mihi communicatis vbiq; desiderabantur. Nam quoties cometa iste per meridiana transit, inueni praese 18. minuta Cassellis iusto minus obseruata esse; cum mea obseruationes eodem tempore factae semper totidem minuta plus habeant. Vnde conicio, talem defectum ab quadrante, vitio perpendiculi in scrupulis non rite directi commissum esse. Quae etiam de re cum Rottmanno, dum hicesset, conuli. &c.*

23 His ergo rationibus potissimum Tycho, aliorum obseruationes cum suis pugnantem amolitur: ex quo simul etiam intelligit prudens lector, quam hoc obseruandi negotium erroribus, variis ex causis, obnoxium sit; vt proinde verissimum sit, quod hic initio monendum censui, obseruationibus quibuslibet fidem haberi nec posse, nec debere; sed defectum inter eas habendum: ita quidem, vt existimo, vt si diuturnis obseruationibus constanter in idem conspicerent & consentiant Mathematici, non temere eis fides abrogetur: si non consentiant; vitio nulli vertatur, si aut consentum denegat, aut certe suspendat; dum res fiat exploratori. Qua in re adeo cautum esse video Antonium Ruuium, nostri temporis eruditum scriptorem, vt nec receptis quidem per multas annorum centurias obseruationibus acquiescat, vt videre est apud eundem lib. 2. de caelis cap. 5. q. 2. An vero Tycho, dum in aliorum obseruationibus improbandis reiiciendisque adeo promptus est & facilis, extra omnem ipse erroris suspensionem esse debeat, inferius dicetur, § 6.

24 Tertium est, quod hoc loco suppono, & per se quidem liquidum; sed lectoris causa explicandum est; discrimen esse inter obseruationes, si stricte & proprie loquamur, & eas quae ex obseruationibus ratiocinatione & discursu colliguntur ac constituuntur, hypotheses. Obseruationes enim discursu non indigent, nisi quatenus opus est ad instrumentum recte applicandum; sed oculis; quibus cernatur, V. G. cometam hoc vel illo tempore esse in hoc, vel illo loco caeli, ac tali distantia, respectu huius vel illius stellae. Hypotheses generatim loquendo modum explicant, quo Phaenomena defendantur; ac

proinde ex observationibus, multo saepe discursu & longa calculatione interueniente, statuunt certos cometarum motus, motuumque circulos, modosque ac periodos; quæ, cum cometarum perpetuus progressus directe ac continuo cerni non potuerit, ex mutatione hæc vel illa locorū cometæ, intra certum tempus, respectu huius vel illius stellæ, ratiocinando constituuntur; aliquando certis, aliquando probabilibus, nonnunquam apparentibus solum, re ipsa falsis rationibus; quandoque etiam, secundum particularem rationem ac modum phænomena explicandi, solum quasi pro arbitratu ipsius Astronomi, cum eadem phænomena diuersis planæ hypothesebus defendi possint, vt mox dicitur. Nec raro fit, vt Astronomi ipsi, ex observationibus non malis, malas ac falsas profus hypothesebus constituat, vt in Copernico fiet manifestum q. 4. dub. 3. Quare etiam oprime fieri potest, vt concessis licet observationibus, hypothesebus tamen inde deductæ quandoque merito negentur. Quod antiquis aliquot, & recentibus exemplis ita declaro.

25 Iam dudum olim, ante Aristotelem, & Ptolemaum, animaduersum erat, planetas habere non solum motus proprios in orientem; sed etiam miram quadam eiusdem motus variatione non semper directos, sed retrogrados, quandoque stationarios, videri. Ad hoc phænomenon explicandum & tuendū, variaz variorum Mathematicorum hypothesebus accesserunt; primum illæ, quas superius ex Aristotele retulimus. Ptolemæus vero postea, quem alii Mathematici multo tempore secuti sunt, non nisi per eccentricos & epicyclos omnia posse explicari & defendi, existimauit.

26 S. Bonaventura vero hac de reagens, & ipse quoque in veterem illam Aristotelis & Physicorum, vt ipse vocat, philosophandi rationem, magis propensus, existimauit, eccentricis illis & epicyclis (Aristoteli incognitis) opus non esse. Ita enim scribit in 2. dist. 14. part. 2. art. 1. q. 2. [De hac quaestione (an planetæ in suis orbibus moueantur motibus propriis) controuersia fuit inter Naturales (Philosophos) & Mathematicos. Mathematici enim maxime considerantes apparentiam, vt illam possent saluare, simul cum motu perpetuitate & vniformitate, posuerunt centricos & epicyclos, & planetam moueri in motibus propriis in Epicyclis: & secundum hæc saluata motus vniformitate, aliquando contingit planetam deprimi, aliquando eleuari, secundum motus ipsius planetæ in Epicyclo, & Epicycli in Eccentrico, & Eccentrici circa centrum proprium, quod est extra centrum mundi, &c. Positio vero Naturalium est, sicut Aristotelis & Commentatoris, quod planetæ non mouentur, nisi motu suorum orbium, sicut clauus fixus in rota mouetur motu rotæ, non proprio, & hoc ponunt propter illius corporis incorruptibilitatem, propter quam non potest scindi, nec transitu præbere alii corpori. Ponunt etiam centrum esse idem, Orbium superiorum, & inferiorum, scilicet centrum mundi propter rotunditatem perfectam orbium ipsorū, qui circulariter mouentur, ita quod vnus non subintrat alterum. Ponunt etiam, cum hoc maiorem & minorem velocitatem in orbibus, & ex hoc habere modo retrogradationes, modo progressiones, quia cum vnum corpus multum præce-

dit alterum sua velocitate, alteram videtur retrocedere. Et ideo licet positio Mathematicorum secundū iudicium sensuum videatur esse verior, quia secundū illam viam procedendo, & iudicando, non falluntur circa motus corporum superiorum, secundum rem tamen, non oportet (absolute) esse verius; quia falsum est frequenter viam inueniendi verū: sed rationabilis videtur procedere & ponere naturalis Philosophus. Et resp. ad 4. Et si, inquit, videantur fieri ad sensum, hoc tamen non est, nisi per maiorem & minorem velocitatem ipsorum orbium: quam si quis bene sciret, explicare, hæc via vnica posset saluare illud; ad quod saluandum Mathematici ponunt circolorum & cætrorum multitudinem.] Ita ipse.

27 Sed & hoc nostro seculo, Fracastorius, insignis Astrologus & Medicus, in suis Homocentricis, tueri conatur, illis Epicyclis aut Eccentricis opus non esse, sed omnia phænomena per sphæras mundo omnino cōcentricas, sed varie densas aut raras, & aliis aliisque orbibus intercurrentibus, modo incitatas, modo præpeditas, posse defendi.

28 Hoc ipso vero tempore nostro, circa eiusdē rei hypothesebus constituendās, vniuersim tres sunt Astronomorū classes diuersæ, quæ quamuis suppositis et iisdem datis seu dedomenis, vt vocant, siue observationibus, circa hypothesebus tñ admodum variant, vt bene explicauit Keplerus in sui Martis introductione; [Sic igitur, inquit, habeat Lector, duas esse Astronomorū sectas; alterā Coryphæo Ptolemæo, & vt plurimum allegatione veterum insignem; alterā recentioribus tributam, licet sit antiquissima; quarum illa errantium stellarum singulas separatim tractat, causamque motuum singulis in suis ipsorum orbibus (perfectione nimirum eccentricorum & epicyclorum) assignat; hæc planetas inter se comparat, quæque in eorum motibus deprehenduntur communia, ex eadem comuni causa deducit. Atque hæc secta rursum subdividitur; causam enim quæ planetas efficit videri stationarios, retrogradosque, Copernicus cum antiquissimo Aristarcho (falsa plane & nunc damnata opinione, vt dicitur quest. 4. dub. 3.) transcribit translationi telluris domicili nostri, quibus & ego subscribo: Tycho vero Bracheus causam illam transcribit soli, cuius vicinia ait connexos esse, ceu nodo quodam (non sane corporeo, sed quantitatio tamen) omnium quinque planetarum Eccentricos circulos; atque hunc veluti nodum, vna cum solari corpore, circa terram immobilem circumire. Tribus hæc opinionibus de mundo, singulis quidem adhærent, alia nonnulla singularia, quibus & ipsis hæc sectæ distinguuntur; sed illa singulatim particularia facillima ratione sic emendari & mutari possunt, vt ipsæ tres capitales opiniones (quoad Astronomiam seu cælestes apparentias) in effectu ad vnguem equipolent, & paria faciant.

29 Quæ omnia eo solum adducere volui, vt manifestum fiat, aliud esse observationes, aliud hypothesebus inde deductas; ac proinde his negatis, non ideo statim negari, aut negandas esse observationes. Quod ex nupero etiam cometa manifestum fit; quando ex iisdem etiam observationibus visum est nonnullis Astronomis, omnia cometæ phænomena explicari posse tam per motum rectum cometæ, quam per circulem & obliquum; quæ tamen ipsa res

ostendit incertitudinem nonnullam eiusmodi doctrinae ex observationibus deductae.

§. III. De Luna.

30 His igitur ita positis & constitutis; ad lunam quod attinet, fateor, quod ipsemet saepe saepius cum admiratione clarissime vidi & consideravi, in ea plane apparere, eiusmodi, quales obiciebantur, hiatus, lacunas; seu quicquid id est inaequalitatis & asperitatis. Respondeo nihilominus, euidens mihi esse, ex eiusmodi, quae ut dixi in luna per tubum opticum videtur, inaequalitate, nulla firma ratione colligi posse, esse in luna veros montes, aut valles, aut ullam omnino re ipsa veram secundum superficiem ambitum; inaequalitatem; nedum ut credamus, lunam esse noui cuiusdam mortalium generis domicilium.

31 Quod ita ostendo. Quæro enim ex oppositæ sententiæ authoribus, utrum valles illae, vel lacunae, quae in luna apparent, aliquo corpore sint repletae; an non? vacuas utique non dicent. Ergo fatebuntur aliquo corpore repletas. Sed liquido, inquit, putatigae, aere, vel aquis; mea enim parum interest, quidquid horum dicant. Quæro tamen ulterius; si pro corpore illo liquido, & à lunari corpore seiuncto, Deus non quidem liquidum, sed solidum aliud, à lunari tamen corpore substantia itidem diuersum, non minus tamen perspicuum, vitrum V. G. aut crystallum substitueret; quibus lacunae illae & valles vndique exaequantur; an non ad aspectum, eadem lunæ facies esset futura; nempe easdem inaequalitates, eosdem montes ac valles referens? Negare hoc utique non poterunt: quia pellucidum corpus, manente eadem diaphaneitate, & figura, quale quale illud sit, siue liquidum, siue solidum, quia visum non terminat, nec visionem pristinam opacitatis impedit, lunare corpus in aliam faciem non potest transmutare.

32 Quod si ita est, idem profecto fieri necesse est, quamuis in iisdem vallibus & lacunis, non aliud substantia diuersum corpus, & à lunari corpore discontinuum, sed aliud eiusdem cum luna substantiæ, eidemque continuum, solidum quidem, sed perspicuum item constitutum. Ergo existis phenomenis, quibus tot montes & valles in luna representari videntur, nulla potest conuinci re ipsa inaequalitas lunaris corporis; sed sufficiet ad ea explicanda, diuersitas aliqua eiusdem lunæ, quoad densitatem & raritatem, adeoque perspicuitatem & opacitatem.

33 Nego igitur, quod argumentum petebat, lunam re ipsa esse corpus inaequale, & tot vndique montibus, vallibus, & lacunis refertum: esto interim, nec adeo tersum sit & politum ac laeue, ut in star speculi, receptas in se solis, aliarumue rerum species reflectat. Quod tamen etsi faceret, non ideo solis imago nobis in luna aspeclabilis esset. Quia ut recte ostendit Franciscus Aguilonius lib. 3. Optic. proposit. 56. Cum tanto intervallo sol à luna distideat, si quis etiam iuxta lunam staret, fieret, ut vix parua alicuius stellæ magnitudinem solis phantasia exaequaret. Cum autem & nos tanta iterum intercapedine à luna absumus, necessario fit, ut solis imago ob exiguitatem plane visum fugiat.

34 Sed etsi ea, quae obicitur, inaequalitas, lunari corpori re ipsa inesset, nihil tamen hoc ad corruptibilitatem ipsius lunæ (qualis in ea nulla prorsus cernitur) aut coeli comprobendam momenti haberet; quandoquidem nihil obstat, in corruptibilia etiam, entia figuræ inaequalis & irregularis esse, ut etiam de maculis solaribus inferius suo loco dicetur.

§. IV. De Cometis, & nouis stellis.

35 Ad secundum de cometis, aliisque stellis nouis triplex est responsio. Primo enim nondum satis constat, eas quæ hactenus apparuerunt, omnes supra lunam fuisse: cum de hoc ne ipsi quidem Mathematici conveniant, & ante Tychonem, ea non solum Peripateticorum omnium, cum Aristotele lib. 1. Meteor. cap. 7. sed etiam plurimorum celeberrimorumque Mathematicorum, ipsius etiam Ptolomæi, & Albumazaris lib. de coniunctionibus, firma & constans fuerit sententia, (id quod ipsi etiam è suis observationibus sibi demonstrare visi sunt, ut videre est apud Regiomontanum tract. de cometa, & Ioan. Vogelinum sim. opusc.) cometas saltem à toto genere non constare materia caelesti, sed sublunari, adeoque infra lunam esse, ut referunt etiam Combricensis Meteor. tract. 3. cap. 3. & nihil sit causæ, cur oppositæ Tychonis observationes, tam in hoc, quam in reliquo caelestium phasinatum genere, omnem antiquioribus fidem auctoritatemque adimere debeant, ut inferius dicetur.

36 Accedit, quod nec hodie adhuc Mathematici inter se consentiunt, ut vel ex recentissimis variorum astronomorum scriptis & iudiciis patet, quæ de nouissimo cometa Anni 1618. edita sunt; & quoad antiquiores olim visos cometas, seu nouas stellas, videre est in ipsis dissertationibus Tychonis Brahe, & apud Christophorum Clauium lib. 1. in Sacrobosco, ubi agit de cometarum parallaxibus. Quæ tamen, ubi refractionum diuersitas, aut motus irregularitas nihil obstat, certum argumentum altitudinis cometae præbere possint, si probe obseruata, notata, & subductæ fuerint; quia tamen res saepe à paucis aliquot minutis dependet, quæ obseruatorum diligentiam facile fugere possunt, obseruationesque ipsas, & quæ inde deducuntur iudicia, & collectiones, variare; idcirco non semper satis tuta, & liquida est, imo lubrica saepe ac fallax esse potest argumentatio, quæ à parallaxibus desumitur, vel ex his liquet, quæ supra ex ipso Tychone retulimus.

37 Sed & super hæc caio, plane falsum esse, quod Tychonem adeo confidenter pronuntiantem, superius retulimus, nullos cometas, qui ad id usque tempus orbi illuxerunt, sublunares fuisse; cum certum sit, quasdam eius generis stellas, siue cometas, non supra lunam, sed infra lunam fuisse. Id quod imprimis certum est, de stella, quæ magos duxit ad præsepium, ut recte sentiunt Theologi; & ratio ipsa necessario euincit. De qua re videri possunt Basiliius homil. de natiuit. Chryostomus homil. 6. in Matth. Augustinus serm. 3. de Epiph. Origenes lib. 1. cont. Celsum, ubi eam stellam ad similitudinem cometae fuisse ait. Idem verisimillimum est de cometa, quem ante Hierosolymæ excidium per annum integrum, ubi constanter impendisse narrat Iosephus lib. 7. de bello Iud. cap. 44. qui nec in remotioribus prouin-

ciis visus demonstratur; nec si altior luna fuisset, determinate vni Hierosolymæ impendere videri potuisset. Idem certo certius est, de quodam alio insigni cometa, quem suo tempore illuxisse scribit non ignobilis sui temporis Historicus, Georgius Phranza historiae lib. 5. cap. 21. vbi ait. *Restate Anni Christi MCCCCL. cometas supra horizontem quatuor vespere statim post solis occasum, in bosphora a similitudinem apparere cepit. Qui plenum lunæ orbem subiens eclipsin efficiebat, iuxta ordinem & motum solium in orbem luminum celestium. Quid clarius? quam cometam istum sub luna fuisse; quandoquidem lunam subiens, eandem eclipsare palam & constanter visus est? Et ne quis existimare possit, cometam hunc immobilem fuisse, & à communi ceterorum conditione exorbitantem, addit scriptor: *Quidam cometam hunc gladii speciem exprimeret, & ab Occidente in Orientem moueri, ac luna appropinquare, defectibusque illius tenebras videntes, ita rem interpretati sunt, conspiratione facta, principes Christianos ab Occidente aduersum Turcas venturos, eosque debellaturos. Turca quoque eo portento in timorem non leuem incidereunt. Quod si hoc ergo non semel, sed sæpius factum est, quidni auctore naturæ iubente, etiam hodie accidere possit?**

38 Certe quidem si ex simplici oculorum intuitu iudicium hac in re, quasi de plano, ferre liceat, in eam potius inclino sententiam, cometam nuperum aliud non fuisse, quam exhalationem ardentem. Cum enim illum tam per tubum opticum, quam liberis oculis, vna cum aliis etiam Mathematicis, tam Viennæ, quam Græciæ, diligenter aliquoties inspicissem, & considerassem, plane aduertit, lucem ipsius nequaquam, vt aliarum stellarum, viuidam, solidam, & claram; sed potius languidam, obtusam, & quasi subobscuram esse; adeo, vt quod in coloribus apparentibus, aliis que obiectis non solide terminatis fieri solet, clarius etiam sine tubo, quam cum tubo conspiceretur.

39 Et quamquam ex altera parte, cometam illum supra lunam esse, vel hoc argumentum initio suadere videretur, quod per tubum opticum non ita videretur multiplicari, sicut luna, & alia obiecta infra lunam posita multiplicantur; imo vero non magis fere multiplicari videretur, quam ipsius firmamenti stellæ: accuratius tamen postea consideranti, hoc ipsum argumentum parum momenti habere visum fuit; quando etiam iis, qui supra lunam cometam illum euehant, pariter dissoluedum animaduerti. Quotquot enim ex his audire, vel legere hæcenus licuit, nullus est qui cometam hunc supra solem perpetuo constitutum fuisse asserat; neque tamen interim per tubum inspectus, vnquam adeo multiplicari visus fuit, quemadmodum in eadem distantia sol multiplicari solet. Qua ergo ratione argumentum, ab ea tubi representatione petitum, soluent isti, eadem ratione soluetur ab aliis, qui dicunt, cometam illum infra lunam fuisse.

40 Nec ego aliam rationem eius rei inuenio, quam exiguitatem luminosi corporis, quod à longe, tanti spatii intervallo, nudo oculo aspectum, quia, ob exilitatem, non bene terminatur apparet, sed spuris, vt ita dicam, radiis circumfusum, facile maius intuenti videri solet, quam sit, aut certe in ea distantia, videretur, si præcisus illis radiis intueri liceret. Iam

vero quia tubus opticus oculorum aciem auget, radiosque illos spurios & aduentitios refecat, fit, vt visum obiectum lucidum & exile, radiis aduentitiis iam exspoliatum non multiplicare videatur, in ea proportione, qua solet alia obiecta multiplicare; quod in omnibus stellis firmamenti; vti & in omnibus planetis minoribus, imo & in candela, seu igne quolibet, à longe, debili præsertim visu conspecto, quotidie licet cernere. Sed hæc disputanditantum, non definiendi causa dicta sunt.

41 Neque vero est quicquam, cur Philosophus cometas sublunares defensus, constringi se patitur illo Vitellionis pronunciatum libro decimo, theor. 60. exhalationes non vltra septendecim miliaria germanica ascendere; hoc enim pluribus improbat Cardanus libro quarto subtilitatum; vbi docet, exhalationes quintuplo altius ascendere, quam Vitellio dixerit: quem sequitur ex Mathematicis Sculterus apud Tychonem, libro secundo, phænomen. cap. decimo, mem. 2. pag. 411. vbi docet, vapores 193. miliarium germanicorum altitudinem attingere; idemque ex parte tuetur Abraham Roggenbach capit. 17. Neque mihi incredibile videtur, subtiles illas, & prope iam ignitas exhalationes ad concauum vsque lunæ subuehi posse; nec tamen nisi ad certam distantiam lumen in illis reflexum videri posse, ob distantiam & debilitatem luminis. &c.

42 Quod quia non parum habet momenti, ad materiam bene explicandam, placet hoc loco duobus documentis comprobatur reddere. Primum suppeditat Regiomontanus, qui, vt refert Vogelinius, in suo de hac materia libello ait, se in cometa à se obseruato non potuisse maiorem parallaxin inuenire, quam sex graduum; quæ tamen cometam super terram attollit octies mille, centum, & octoginta duobus miliaribus germanicis. Ex quo sane efficitur, cometam illum quidem fuisse inferiorem luna, attamen in suprema minimum aeris regione positum.

43 Alterum documentum præbet auctor cuiusdam tractatus de cometis editi a nõ MCDLXXIV. viri sane vt apparet & in Mathematicis apprime versatus, & in Philosophia insigniter doctus, Is suã de cometa Anni MCDLXXII. obseruationem ac iudicium his verbis posteritati commendauit, vt iam antea in fine dissertationis de cælis annotauit. Primum n. de distantia cometæ à terra ita scribit: [Qui Geometriæ ac Arithmeticæ rationes nouerit, minime dissentientis, quæ ex Ptolomæi positionibus (*habentur*;) quibus in Almagesto demonstrat, concauū orbis lunæ triginta tribus vicibus tñ distare à centro terræ, quantum est ab eodem centro, ad terræ superficiem. Semidiameter vero terræ, vt colligi potest, cõtinet fere non gēta & sedecim miliaria Teutonica. Et per ipsam, vt dicit Alphraganus vicefima prima doctrina, ratiocinantur distantia stellarum à terra. Considerando itaq; maximam diuersitatem aspectus capitis cometæ ab Alranick stella sibi vicina, quæ iuxta possibilitatem omnibus difformitatibus reductis, maior cõprehēdi non poterat, quã sex graduum, instrumentis cõgruis ad hoc ordinatis. Ad quã aspectus diuersitatē necessario sequitur, corpus Cometæ à superficie terræ distare in non ecepta distantia ad semidiametrum terræ; quæ ad minus est octo millia & ducenta miliaria. Ponebatur

ergo in superiore parte supremæ regionis aeris, & non in igne; supposita decupla quantitate commensurationis elementorum, prout Philosophus *de* generat. determinat.

44 Iam vero de magnitudine cometæ ita scribit: [Cum enim diameter capitis cometæ vndecim minuta circuli magni chordaret, vt instrumentis comprehendebatur, quorum minorum chorda est vndecim minuta, & medium fere. Illa ergo chorda, vt dictum est in prima parte, multiplicetur in distantia cometæ à terra, scilicet octo millia & ducenta miliaria, & producentur nonaginta quatuor millia & trecenta; quæ diuidantur per sinum totum, scilicet tria millia sexcenta minuta, & exhibunt inde viginti sex miliaria, quæ sunt quantitas diametri capitis cometæ. Comæ vero circumquaq; egredientes de capite cometæ chordabant fere triginta quatuor minuta. Fuit ergo diameter earum octoginta vnum miliaria fere.

45 Deniq; de longitudine cometæ ita scribit: [Cauda autem in longitudine sua maior, cum cometæ esset circa stellas piscis septentrionalis, & protenderet caudam fere ad Pleiades, distantes à capite cometæ triginta quinque gradibus, chordabat circa triginta gradus. Fuit ergo eius longitudo plus quam quatuor mille miliaria. Communis tamen eius longitudo diebus antecedentibus fuit duo millia & quingenta miliaria. Quod si non distasset à terra, nisi secundum quantitatem diametri terræ, adhuc longitudo eius fuisset quadringenta & sexaginta miliaria. Horum omnium singulares mathematicas demonstrationes afferre, prolixum & valde tediosum esset, Mathematicam non noscenti: noscenti vero nihil horum dubitatum est.] Ita auctor. Et quamuis non nesciam, propter variam computationem tum miliarium germanicorum, tum ipsius diametri terræ, posse hac quoque in aliquam in computando varietate interuenire; ea tamen non est tanta, quæ nostro proposito obstat; ad quod satis est, cometam infra lunam positam, supremam etiam regionem aeris, ipsamq; forte etiam sphaeram ignis posse contingere. Omitto quod idem author in prima parte eiusdem libri disserit, cometas non esse nudas exhalationes; sed iam à syderibus probe excoctas, sublimatas, & quasi in coelestem naturam transformatas, imo & quædam quasi ipsorum syderum semina, ad varios effectus producendos; de quo non disputo.

46 Et vero nec illos, qui cometas supra lunam euehunt, circa altitudinem exhalationum conuenire, patet ex pluribus disceptationibus, quas tum de crepusculorum altitudine ac initiis, tum de refractionum quantitate, inter se pertinaci sane studio agitarunt Tycho Brahe, & Christophorus Rottmannus; vt videre est in epistolis Tychonis ad Rottmannum datis Anno 1588. 21. Febr. & 24. Nouemb. in quarum priori ita Tycho: *Vides itaque crepusculi, siue matutini, siue vespertini mensuram in circulo verticali; nusquam 17. gradus excedere; quod nimis magno intervallo suam animadversionem, (de 24. scilicet gradibus, vt ex præcedenti & sequenti epistola liquet) antenerit.* Ex quo patet, Tychonis & Rottmanni observationes hac in re septē gradibus inter se differre.

47 Respondetur secundo, apparitiones eiusmodi cometarum nouarumq; stellarum extraordinarias vi-

deri posse, & nonnunquam in prodigiis numerandas; quarum proinde certam rationem reddere non teneatur. Licet enim corpora coelestia sint natura sua corruptionis expertia; potest tamen Deus, suo arbitrarij ob finem, quem ipse nouit, reiq; potissimum nouæ alicuius & gradus significandæ gratia, vel ad mortales terrefaciendos, atq; à sceleribus reuocandos, ac simul etiam vt Dominum ac conditorem coelorum, se se tanto euidentius comprobet, nonnunquam, etiam illic veræ ac physicae mutationis aliquid, præter communem rerum ordinem, inducere. Sicut etiam re ipsa subinde eum in hoc genere varia effecisse nouimus; vt cum præter naturæ ordinem, Iosue pugnante, solem ac lunam stetit, Iosue 12. v. 12. cum rogante Ezechia, solis umbram in horologio Achaz retraxit decem hinc horariis, lib. 4. Reg. c. 20. v. 11. cum in passione Christi, solē contra naturam cursum, in ipso plenilunio obscurauit, Matth. 27. v. 45. Luca 23. v. 45. cum solem eundem postea, centum circiter annis præterlapsis, rursus extraordinaria eclipsi affecisset de qua Tertullianus lib. ad Scapulam c. 3. *Nam sol, inquit, in conuentu Vicensi, extincto penelumine, adeo portentum fuit, vt non portaret, extraordinario deliquio hoc pati, positus in suo Eypsomate, & domicilio. Habebis Astrologos &c.*

48 Deniq; & S. Augustinus lib. 21. de Ciuitate Dei c. 8. ex Marco Varrone simile portentum de stella Veneris refert: [In caelo, inquit, mirabile extitit portentum. Nam in stella Veneris nobilissima, quam Plautus vesperuginem, Homerus Hesperum appellat, pulcherrimam dicens, Castor scribit tantum portentum extitisse, vt mutaret colorem, magnitudinem, figuram, cursum, quod factum neq; antea, neq; postea sit. *Vbi Augustinus.* Quid ita dispositum est, inquit, ab auctore naturæ caeli & terræ, quemadmodum cursus ordinatissimus syderum? Quid tam raris legibus fixisque firmatum? Et tamen quando ille voluit, qui summo regit imperio ac potestate, quod condidit, stella præ cæteris magnitudine atque splendore, nobilissima, colorem, magnitudinem, figuram, & quod mirabilius est, sui cursus ordinem legemq; mutauit. Turbauit profecto tunc, si vlli fuerunt, canones Astrologorum, quos velut inenarrabili computatione de præteritis ac futuris astrorum motibus conscriptos habent: quos canones sequendo, ausi sunt dicere, hoc quod de Lucifero contigit nec antea, nec postea contigisse.] Ita Augustinus.

49 Neq; est hoc sane confictum argumenti effugium, sed digna Christiano homine philosophandi ratio; ipsi SS. Patribus admodum vsitata; qui hæc, & quæ sunt huius generis, etiam cum in ipsa aliquando aeris plaga accidunt, ad portenta, eaq; opera, quæ præter naturæ ordinem à Deo fiunt, referunt; vt ex Tertulliano loc. cit. & Augustini obidē & c. 12. de ciuit. c. 23. & lib. 3. c. 1. & Nicephoro lib. 3. c. 4. videre est.

50 Eiusdem generis est, quod de caelestium idem chaumate scribit Augustinus lib. de vrbis excidio rom. 9. quando circa Anni CCCXCVI. ardente caelo, terraq; tremente, Constantinopolitana vrbis excidium imminere videbatur: [Volens siquidem Deus, inquit Augustinus, terrere ciuitatem; & terrendo emendare, terrendo conuertere; terrendo miltare, terrendo mutare, seruo cuidam suo fideli, viro vt dicitur, militari, venit in reuelatione, & dixit ei, ciuitatem-

venturo de caelo igne perituram; eumque admouit, vt Episcopo diceret. Dicitur est; non contempsit Episcopus, & allocutus est populum. Conuersa est ciuitas in luctum penitentiae, quemadmodum quondam illa antiqua Ninive.

51 Tamen ne putarent homines illum, qui dixerat, vel fallitate deceptum, vel fallaciter decepsisse, venit dies, quem Deus fuerat comminatus: intentis omnibus, & exitum cum timore magno expectantibus, noctis initio, tenebrante iam mundo, visa est ignea nubes ab oriente; primo parua, deinde paulatim, vt accedebat super ciuitatem, ita crescebat, donec toti vrbi ingens terribiliter immineret. Videbatur horrenda flamma pendere; nec odor sulphuris deerat: omnes ad Ecclesiam confugebant; non capiebat multitudinem locus; baptismum extorquebat quisque à quo poterat. Non solum in Ecclesia, sed etiam per domos, per vicos, & plateas, salus sacramenti exigebatur, vt fugeretur ira, non praesens vtiq; sed futura. Attamen post magnam illam tribulationem, vbi exhibuit Deus fidem verbis suis, & reuelationi serui sui, cepit vt venerat, minui nubes, paulatimque consumpta est.

52 Populus securus paulatim factus, iterum audiuit, omnino esse migrandum; quod ciuitas proximo sabbatho esset peritura; migravit cum Imperatore (Arcadio) tota ciuitas. Nemo in domo remansit; nemo domum clausit, longerecedens à moenibus, & dulcia testa respiciens, relicta charissimis sedibus, voce miserabili vale fecit. Et aliquot millibus tanta illa multitudo progressa, vno tamen loco fundendis Deum orationibus congregata, magnum fumum subito vidit, & vocem magnam emisit ad Deum: tandemque tranquillitate perfecta, missis, qui renuntiarent, quae peracta fuerant, hora transacta, & renuntiantibus, quod salua vniuersa moenia & testa confisterent, omnes cū ingenti gratulatione redierunt. Nemo de domo sua quicquam perdidit patente; omnino sicut, sicut dimisit, inuenit. Quid dicemus? vtrum ira ista Dei, an potius misericordia fuit? Quis dubitet, misericordissimum Patrem corrigere voluisse terrendo, non perdendo perire; quando nihil hominum, nihil domorum, nihil moenium tanta impendens praesentia laesit? Prioris sicut solent manus erigi ad feriendum, & confestinato illo, qui ferendus erat, misericordie reuocatio: ita factum est illi ciuitati. ] Haec tamen Augustinus.

53 Sed & Philastrius in suo catalogo non solum eadem ratione de terrae motu philosophatur, sed & acriter perstringit aliter philosophantes: *Non attendentes, inquit, Dei potentiam, elementorum naturae adscribere audent potentiae motionem, vt quidam philosophi vana, qui rerum naturae hoc adscribentes, Dei potentiam non cognouerunt: quod etiam in huiusmodi rebus indignatio Dei ac potentia operatur, & suam commouet creaturam, conuersionis causa, & utilitatis quippe multorum peccantium, ac redemptum ad Dominum saluatorem atque creatorem. Equidem terrae motus, quandoque naturaliter fieri non nego; sed & à D E O nonnunquam supra vim naturae excitari, nil dubito.*

54 Huius sententiae est etiam S. Damascenus lib. 2. orth. fid. cap. 7. qui speciatim de cometis ita dicitur,

vt in eam plane eam sententiam, quae & ore vulgudum celebratur; praesignificare videlicet, Deo indice & auctore, insolitum aliquid & triste, speciatim etiam tristes belli clades, & funera Regum, vt poeta ille cecinit; id quod de cometa Anni MDCXVIII. abunde satis experti sumus, atque etiam nunc experimur. Verba Damasceni sunt. *Aggignuntur autem, inquit, & frequenter cometae, signa quaedam interituum Regum, qui quidem non sunt ex his astris, quae à rerum initio facta sunt, sed diuina iussione oportuno tempore constituuntur, atque rursus dissoluntur.* Subiungit de stella Magorum: *Cum autem, inquit, in miseratrice & saluati Domini natiuitate secundum carnem, propter nos, à magis stella visa est, non ex his fuit astris, quae in principio facta fuerunt. Quod & ex hoc perspicuum est, quod aliquando quidem ex oriente in occasum peragebat cursum; aliquando vero ex Borea in Austrum; & quandoque occultabatur, quandoque manifestabatur; hoc enim ordinationis & naturae astrorum non est.*

55 Quod si temporum historias inuestigabimus, facile inueniemus, singulis aetatibus eius generis caelestia portenta, atque etiam ignita phasmatum complura, saepe etiam rerum futurarum praenuntia, Deo iubente, illuxisse, ad peccata hominum siue emendanda, siue castiganda. Dignum relatu est, quod hoc nostro primum tempore ad initium tumultus Boemici in ipsa Boemia accidit; & ab oculato teste, optimo & doctissimo viro, Reuerendo Domino Magistro Daniele Alberto Hageck, Parocho ac Decano Litomislensi, qui postea pro fide Catholica & verberatus, & vulnera, nescio an non ipsam denique mortem à fidei hostibus perpeffus, litteris Viennam datis Anno 1618. 27. Iunii, ad quandam à Societate nostra presbyterum, his ipsis verbis perscriptum fuit. [Mirabile quiddam V. R. Paternitati communicabo, quod ipsemet cum aliis pluribus 26. Iunii (eiusdem Anni 1618.) hora secunda noctis hinc oculis spectavi, Prospiciens ex eminentiore loco Parochiae, vidi lumen quoddam in aere instar lunae; maius tamen ac splendidius: quod post paulillum temporis in duas fere aequales partes est diuisum; quarum vna (rursus) in tres alias fuit distincta. Atque ita stabant quatuor maxima lumina, à se remota (suspicabar incendium grande in quatuor distinctis locis;) à me tamen aliquot miliaribus Pragae versus distantia. Ecece vix oculos reflexi, cum repente quintum lumen aliunde aduolat, etiam perfecte sphaericum; supra quod distinctissime vidi crucifixum, facie versa ad quatuor lumina; rubicundum tamen quasi sanguinem. Quem dum attonitus intueor, mox alia luminaria priora, vno excepto, visa sunt mihi habere cruces sanguineas. Non fidens (autem) proprijs oculis, quare ex (praesentibus ac) simul spectantibus, quidnam videantur? Illi hoc idem se videre affirmant. Tandem post aliquantum temporis, omnia in vnum coalescunt, efficiturque maximum lumen, supra quod crux, cum duabus lanceis sanguineis apparuit. Iterum (vero) diuiditur in tot partes; atque ita per plures vices modo coniungebantur, modo à se inuicem disungebantur; donec omnia (sensim) vnum post aliud, deficerent. Non aliter iudico, quam haec grauissimae Dei vindictae signa fuisse. &c. Vix alteri

fidem adhiberem, nisi ipse oculis propriis longo tempore distinctissime spectassem. Sphæra omnes erant ignea, cruces vero sanguinea: ita ut crucifixum ille videretur etiam sanguinem spargere. Hactenus literæ integerrimi viri.

56 Quæ & plura similia, passim in historiis obuia, planetantur, esse etiamnum Deum in cœlis, qui præter naturam vim & ordinem ad commonefaciendos homines, suamque potentiam demonstrandam, varia omnis generis portenta ac prodigia identidem soleat perpetrare. Ut proinde sapienter concludat Tertullianus ad Scapulam cap. 3. cum pluribus de huiusmodi rebus disseruisset, *omnia hæc signa sunt imminenti ira Dei, quam necesse est, quoquo modo possimus, ut & ammittimus, & prædicemus, & deprecemur interim localem esse, vniuersalem enim & supremam suo tempore sentient, qui exempla eius aliter interpretantur.*

57 Minime igitur à Christiano Philosopho alienum est existimare, cometas quoque aliquos ad hoc genus diuinorum prodigiorum & portentorum pertinere; quorum ille solum exactam potest reddere rationem, qui facit: quando nec vera portenta essent, si natura solum ordine & lumine circumscriberentur. Quod quidem recte mihi etiam ex Mathematicis huius ætatis, agnoscere visi sunt Maëlinus, & ipse Tycho Brahe, qui lib. 2. de mundi ætherei recentioribus phenomænis cap. 10. memb. 1. his verbis scribit: *Interim pie & sobrie Maëlinum sentire iudico, qui omnipotentia diuina has miraculosas generationes immediate ascribit, & in natura secretis reponit.*

58 A quo tamen, vicissim hoc iure potest exigi, ut etiam si forte suis obseruationibus & demonstrationibus euicerit, aliquos subinde cometas (de omnibus enim non posse antea demonstrauimus) supra lunam à Deo effici, ut ne propterea conclamatum esse velit, contra receptam à Patribus & Philosophis cœlorum soliditatem; cum Deo æque facile sit, in pleno ac solido corpore, aliud corpus constituere ac mouere, ac in vacuo; nisi forte Tycho ex Lutheri schola ad Caluinum degenerauit, qui aduersus Catholicam fidem, inter alia etiam hoc impium dogma prodidit, non posse per absolutam etiam Dei potentiam, duo corpora esse in eodem loco, mutua penetratione.

59 Quamquam ne hoc quidem necessarium est, ut re ipsa semper fieri affirmetur. Quando non est difficile Deo, etiam absque penetratione corporum, solido cœlorum corpori nouam lucem indere: qui & primo creationis die lucem (non corpus lucidum) in subiecto iam ante præexistente produxit, ut dictum q. 2. dub. 3. & ipsi firmamento iam ante secundo creationis die producto & consolidato, stellas & sidera (absque noua vilius substantiæ productione) quarto primum die inseruit, ut dicitur q. 4. dub. 2. Quod si constanti & durabili adeo prodigio, Deus tum Israelitis ad terram promissam tendentibus, Ducentem se præbuit, per diem quidem, columna nubis indice ac prodromo, per noctem autem columna ignis, ut videre est Exodi 13. v. 22. & Psal. 77. v. 14. tum etiam Magos, stella mirabili duce, in varios motus vndique circumacta, duxit ad Christum infantem; quidem etiam hodie continuare aliquando edita à se prodigia & miracula possit?

Respondetur tertio, Etiam si concedamus, id genus stellas quasdam fuisse sole, imo etiam ceteris planetis altiores, atque etiam citra vllam diuini miraculi vim in cœlo constitutas; nihilominus tamen sobrie philosophanti, non deesse plures probabiles modos, quibus id absque omni noua generatione, & corruptione fieri potuisse explicetur. Primum esse potest, si dicatur, in superioribus cœlis quasdam epicyclos esse, nec adeo magnos, ut sensibilem in eis stellarum motarum declinationem efficiant, nec adeo paruos, quin stellas in perigæo vtcunque sensibiles, subducere in apogæo visui nostro possint; præsertim si ipsæ etiam stellæ iis infixæ irregularis figuræ esse ponantur, ut de maculis solaribus inferius dicitur: sic enim vtrumque facile in tanto intervallo fieri poterit; etiam si interim epicycli illi re ipsa diametrum aliquot millium milliarium contineant.

In his ergo epicyclis si stellæ constituantur tardissimi motus, fiet, ut stella quæpiam longo etiam tempore, cum in perigæo versatur, à nobis spectabilis sit; postea vero ob nimiam altitudinem, & quam in tanta distantia præferat paruitatem, videri amplius non possit. Scio id non placere Keppelero in lib. de stella noua Serpentarii cap. 21. & facteor, promiscue omnibus eiusmodi phenomænis applicari non posse; sed quin subinde id etiam fieri possit, non video quid obftet.

61 Secundus modus est, si dicamus, in iisdem superioribus cœlis seu diuersis cœlorum annexis orbibus, sparsim ac promiscue diffusas esse particulas quasdam densiores, quarum singulæ quidem ob suam paruitatem, in tanta distantia, videri à nobis haud possint; possint tñ, si plures simul in vnâ quasi cumulâ eocant, & per iuxta positionem coniungantur: sic enim fiet, ut quamdiu semel iunctæ perseverant, videantur in star aliarum stellarum, postea vero sensim rursus à se inuicem disiunctæ, sub aspectum amplius non cadant. Parique ratione explicari poterit, aliquas stellas (vbi dicunt de spica Virginis) minores nunc apparere, quam olim visæ fuerint: est res hæc mihi quidem adhuc videatur incerta.

62 Atque hunc modum generationis cometarum (abstrahendo à soliditate & liquiditate cœli) video re ipsa nunc in proximo cometa Anni 1678. fuisse approbatum, ac publice defensum, In Academia Ingolstadtensi. Neque negari potest, modum vtrumque esse possibilem; est promiscue, ut dictum; omnibus applicari nec possit, nec debeat: neque vero posterior ille modus ab Aristotele, in antiquis Philosophis refellitur; cum illi, quando cometarum generationem plurium planetarum concursu fieri dixerunt, de ordinariis planetis ac stellis (quæ alias solent esse spectabiles) locuti fuerint, ut videre est apud Aristotelem lib. 1. Meteor. cap. 6. quo sensu, recte illi ab Aristotele ibidem refelluntur: nos vero loquimur de extraordinariis planetis, quales etiam non improbabiler censentur à nonnullis ipsæ maculæ solares.

63 Ut igitur ex his, quæ hactenus disputata sunt, de cometis aliisque, nouis stellis, meam sententiam summatim explicem, breuiter dico, aliquando esse sublunares, ut in prima responsione demonstrauimus; aliquando effici posse extraordinario miraculo in cœlis;

aliquan-

aliquando forte etiam sine miraculo; idque nunc vno, nunc alio modo, ex duobus illis, quos superius retulimus: quæ omnia satis hæctenus comprobauimus.

64 Quod si nihil horum placeat; aut certe ratio particularis obstat, cur nihil horum asseri posse videatur, dicere licebit cum Seneca, lib. 7. natural. quæst. cap. 1. multa dari, quæ esse concedimus; quæ tamen qualia sint ignoramus. Et vero est in hac re, particularis aliquando causa, cur ex motu quidem, aut parallaxibus, certi nihil de cometis, aliusue nouis eiusmodi stellis statui posse videatur; eo quod aliquando motum habere videantur plane irregularem, nullisque certis legibus definitum. Quod quidem de stella noua, quæ Magos duxit ad præsep., certissimum est; quia aliquando quidem ex oriente in occasum peragebat cursum; aliquando vero ex borea in Austrum; & quandoque occultabatur; quandoque manifestabatur; aliquando penitus conqueſcebat, pro arbitratu mouentis DEI, vt etiam superius resp. 2. ex Damasceno retulimus: idemque ob eandem causam probabiliter fit, aut fieri potest, quoties noua eiusmodi stella, extraordinario miraculo, ad rem certam significandam à Deo efficitur.

65 Quod ex parte etiam circa nostri temporis cometas nouasque stellas obseruauerunt Mathematici; sane de cometa Anni 1580. scribit Tycho libro secundo, de nouis phænomen. cap. decimo, memb. secundo, eum ipsam primi mobilis reuolutionem suo proprio cursu ab oriente in occidentem toto durationis tempore anteuertisse; perpetuoque contra ordinem signorum in antecedentia fuisse delatum. Contrarium vero scribit de noua ad Cassiopeam stella, quæ vt ait idem, memb. 1. ultra annum tempus in vno eodemque firmamenti loco immota conspicebatur.

66 Sed & rursum de cometa Anni 1590. in literis eiusdem Anni Cal. April. ad Landgrauium Hassiæ his verbis scribit Tycho: *Quarta columna tabule quantitatem arcus motus diurni, quem cometa proprio cursu, in suo quem designauit arcu absoluit, ob oculos ponit; ibique multo concitatiorem fuisse, quam ubi ad consummationem tendebat, liquidopateret. Neque tamen prærupto, aut tumultuario cursu ciebatur, sed ordinario, (alio tamen atque alio, vt dictum) & a celeriore in tardiozem successine atque conueniente proportione fere (sed non vere) remittente; quod etiam ex quarta columna satis colligere licet. Ita Tycho.*

67 In eandem sensum scripſisse intelligo Apianum in Astronomico Cæsareo, paulo ante primam obseruationem secundi cometa, cum motum suorum planetarum vocat *simillimum regulari*. Qui proinde non potuit omni ex parte esse regularis: nam quod homini simillimum est animal, non est homo; sed hominis æmula, simia, &c. Certe quidem hic ipse motus cometarum tam varius, & irregularis (qui non solum plerumque difficillimam eorumdem reddit obseruationem; sed quandoque etiam incertissimas efficit hypotheses) sublunares potius esse, aut certe miraculosos, quam æthereos & naturales, indicare videtur. Sed hæc de cometis, nouisque stellis

### §. V. De maculis Solaribus.

Ad tertium, scilicet maculas Solares, quod attinet, fateor in primis, eas & re ipsa existere; & luna superiores esse; etiam si multi eas multo tempore aut profus negarint; tibi, aut oculorum vitia & maculas, non solis esse rati: aut certe luna superiores non esse existimarint. Quorum vtrumque; refellitur, nõ solum quia ab eisdem diuerso tempore, idque satis diuturno, (spatio fere duodecim vel quatuordecim dierum) sed etiam quia eodem tempore in diuersissimis remotissimisque locis à diuersis sub eodem solis loco (nisi quantum proportionati motus progressio, aut locorum distantia variavit) magna proportionum uniformitate cõstanter visæ sunt; atque etiam nõ videtur.

69 Et quia mihi res hæc, cum primum vel per suspensionem innotuit, inquisitione speculationeque dignissima visa est; studium adhibui, vt quantum quidem ad physicam considerationem pertinet, proprio etiam experimento, aliquam eius notitiã comparare: ductus illo, de quo supra, Aristotelis exemplo, asserentis, *Non solum Aegypti; sed & nos vidimus.* Igitur cũ eius rei incertus quidam rumor iam antea aliunde ad nos Ingolſtadium fuisset allatus, accidit Anno MDCXI. die 21. Octob. hora fere dimidia ante decimã nostrã ante meridianam, hoc est, duabus horis cum dimidia ante meridiem, vt aptissima eius rei explorandæ se offerret occasio. Cum n. eo tempore cœlũ tenui quadam nebula ita obductum esset, vt tamen solis discus, radiis vehementioribus vndique; recisis, plane ac sincere spectabilis esset, admoto tubo optico, non difficulter maculas quæſitas in eo deprehend. Et mox admiratione simul & hilaritate perfusus, ad inſolitum spectaculum plures aduoco & inuito; qui paria affectu diu multumque vna mecum rem eandem contemplati sunt. Inde vero totius anni sequentis curriculo, variis modis, ac præsertim directa per tubum inspectione, (quæ ad physicam considerationem plus habere videbatur momenti) penè quotidie eas obseruau; obseruationibus etiam, quantum ex oculorum iudicio notare liceuit, in chartam rudi quãuis Minerua coniecit: cum interim Mathematici nostri, & illo ipso tempore, & inde iam aliquot annorum continuato studio, longe accuratiori methodo, non solum molem singularum, sed etiam motum diligenter obseruarint.

70 Quibus ita constitutis, fatendum quidem est, eas maculas sane difficilem habere explicationem; non modo si soliditatem incorruptibilitatemque cœlorum tueri velimus, sed etiam si quis cœlos aut liquidos, aut corruptibiles esse asseret: quandoquidem incredibile est, & vt ita dicã, inexplicabile, quomodo tot & tã vasta corpora, tã frequenter, imò continua quasi serie, in cœlis, & quidem iuxta purissimum solem, de nouo generentur & corrumpantur. Sed quia de hac re in proprio opusculo pluribus differui, id solum in præsentiarum respon. deo. ea quæ circa solares maculas contingunt phænomena, hisce conditionibus ac hypothesibus, partim propriis, partim alienis experimentis deprehensis, satis commode explicari & defendi posse, absque vlla cœlorum corruptibilitate & liquiditate: si propriis epicyclis insitæ circa solem inueneri constituantur, vt etiam docuit Lessius noster de prouid. Deilib. 1. cap. 2.

71 Prima conditio est, quod maculæ variae admodum & irregularis sunt figuræ, ac plerumque inmodum diti compressæ, latioresque adeo & longiores, quam crassiores, absque vlla certa laterum terminacione & circumscriptione; plane instar flocci alicuius lanci, aut niuei; siue etiam instar volantis muscæ, aut macilentæ pulicis, vt de suo etiam sub sole Mercurio loquitur Keplerus. Secunda conditio est, quod maculæ plerumque non sunt vnum quoddam continuum corpus; sed aggregatum quoppia, ex plurium & variorum corpusculorum opacorum, quasi temere conglomeratorum, seu confociatorum coitione resultat: id quod etiam visu cernitur: cū in vna sæpe macula, sex, octo, decem, aut plura eiusmodi corpuscula minutiora numerare & distinguere liceat; præterea, quæ ob exilitatem, aut nimiam coniunctionem læpissime visu discerni non possunt. Tertia conditio est, quod & maculæ ipsæ, & corpuscula ex quibus constant, non eandem inter se situm ac compositionem constanter retinent, sed sæpe proprio motu (atque haud scio, an semper proflus regulari) à se sensim dissociari, aut progressu temporis magis sub sole confociari videntur; quod argumento est, non in iisdem sphaeris omnes circumstant, sed magnum satis circulum sub sole, aut circa solem conficiunt, de qua re alibi plura. Quinta est, quod statò tempore, & ordine suum sub sole motum nonnihil variant.

72 Ob primam etenim, secundam, & tertiam conditionem accidit, vt maculæ suam figuram quotidie, fere non parum mutare, atque etiam vt subinde coniunctis, aut rursus distinctis, sub ipso primum sole, corpusculis, ex quibus constant, quasi de nouo generari, aut corrumpi sub eodem sole videantur: cum in ingressu solis, aut exitu, ob exilitatem singula eiusmodi corpuscula videri non possent: quanquā id nonnunquam etiam accidere potest, ob figuræ irregularitatem variamque conformationem ad oculum. Ob quartam & quintam conditionem fit, vt eadem aut nunquam, aut non nisi sero admodum sub solem redeant, nec si forte redierint, deprehendi facile possint; præsertim etiam ob figuram interm, diuerso corpusculorum, ex quibus constat motu, disturbatam, vt dictum: Eademque est ratio facularum solarium, quæ aliud esse non videntur, quam inter solares maculas, etiam ob paruitatem, aut certam situm conformationem, quandoque non visibiles, refractum, aut etiam reflexum solis lumen; de quo alibi. Quod si compertum fuerit, motum macularum suum in sole centrum quandoque mutare, vt quidam aiunt, nil obstat, quo minus eis conuenientes assignentur, seu Epicycli seu Eccentrici, ad eiusmodi motus diuersitatem tuendam, etiam absque corruptione aut liquefactione cælorum.

S. VI. De Mercurio, Venere, & Marte.

73 Ad quartum, de Mercurio & Venere solem ambientibus. Respondeo inde hoc solum effici, hos planetas non habere proprios ac distinctos cælos terram ambientes, sed solū epicyclos proprios, in ipso solis cælo positos, solemque ipsum ambientes, in quibus circa solem ferantur, sine vlla vel ruptura, vel penetratione cæli solaris. Id quod proinde non quidem

soliditati & incorruptioni cælorum, sed dispositioni solum, ac numero eorundem hæctenus recepto, & non tam à Philosophis, quam ab ipsis Astronomis, ex imperfecta obseruatione motus planetarum introducto, aduersatur, vt quæst. 4. dub. 4. pluribus dicitur.

74 Nec specialis aliqua difficultas est, de periodo Iouis & Saturni; qui cum iuxta ipsius etiam Tychonis obseruationes, sole nunquam sint inferiores, sed sublimioribus, maioribusque periodis ac circulis, terram simul ac solem ambient, nec cælum, aut viâ solis, alteriusue planetæ aut sideris interfecerint, proprios sibi cælos ac sphaeras sole vndique altiores retinent.

75 At vero ad Martem quod attinet, qui iuxta Tychonis obseruationes & hypotheses, ipsum cælum, seu viam solis non modico spatio interfecat, hoc opus hic labor est, vt simul vtrumque tueamur, & soliditatem scilicet cælorum, & Tychonis hypotheses, aut saltem obseruationes: & mallem hæc de Re Clauium aliquem, vt in hoc genere cum primis sapienter solebat, differenter audire & sequi: quam minus tritam aliis viam disserendo quodammodo prætere. Sed quia ita argumenti necessitas postulat, citra cuiusquam præiudicium aut iniuriam, dicam sincere quod sentio, non tam priuato animi sensu ductus, quam publica optimorum Mathematicorum iudicia secutus.

76 Equidem primo hypotheses Tychonis ab eius obseruationibus distinguo, vt iam vniuersim initio huius capituli §. 2. distinguendas monui. Si quidem licet obseruationes Tychonis recipiant communiter Mathematici recentiores; hypotheses tamen eiusdem ex obseruationibus deductas respuunt multum; speciatim omnes illi, qui Aristarchicum, siue Pythagoricum, seu, quod idem est, Copernicanum systema sequuntur.

77 In quibus Christophorus Rottmannus, Mathematicus Landgrauianus epist. ad Tychonem Anno 1588. 13. Cal. Octob. inter epistolas Tychonis pag. 128. & 129. ita scribit: *Quod camen existimus, generalem illam sphaerarum dispositionem, quo diligentius perspexero, eo magis mihi placitur am, scies iam dudum mihi prorsus contrarium accidisse; de quo etiam cum eruditissimo viro Gellio Sasseride egi. Quo enim diuinitam considero, eo minus mihi placet. Et inferius, Præterea introducit hæc inuensa Copernicatio (qualem nimirum inducit Tychonianum systema) confusionem in sphaeras planetarum. Etsi enim nulla corporum celestium illis inde sequi potest, vt excusare nitentur, tamen nulla sphaerarum vera aut determinata distinctio manet; sed omnes inter se confunduntur. At Copernicæ hypothesi suum unicuique planetæ eorum determinatum spatium attribuit, à quo motu suo egredi non possit. Idem multis probat Keplerus, in suo Marte, vbi ex instituto, reiecto Tychonis systemate, Copernicanum stabile nititur: id quod in Italia antehac nostra quoque ætate, fecisse celeberrimos etiam Mathematicos constat. Taceo Clauium, Maginum, & alios Ptolomaici systematis assertores.*

78 Cum igitur hypotheses Tychonis, quarum ea cælorum interfecatio propria est, præstantissimi huius temporis Mathematici non recipiant; quicquid interim sit de ipsius obseruationibus, nihil est, cur earum au-

thorita-

thoritate multum prematur, nedum opprimatur antiquissima & receptissima Philosophorum pariter ac Theologorum de soliditate cœli sententia. Accedit, quod iam superius §. 2. notat. 3. Keplerum cit. Introductione Martis aperte profitentē audierimus, quamuis tres illæ, quas vocat, sectæ Astronomorum, nimirum Ptolomaicorum, Copernicanorum, & Tychonicorum, non nihil inter se quoad motus astrorum dissideant, ea tamen facillima ratione sic emendari, & mutari posse, ut ipsæ tres capitales opiniones, quoad Astronomiam, seu cœlestes apparentias, in effectu ad unguem æquipollent & paria faciant. Hoc ergo cum iuxta Ptolomæi systema quispiam fecerit, nos egratiam habebimus; nec erit, quod in hac re quisquam amplius exigit. Neque forsitan impossibile est, etiam stante soliditate cœlorum, eiusmodi phenomena rueri; si confecti inter se Martis & Solis cœli simul conuoluantur; ac si opus est ad Martis eccentricitatem tuendam, suus etiam illi in super Epicyclus adiungatur; aut sane eccentrici solis & Martis ita disponatur, ut in hypogæo Mars terræ propinquior sit, quam sol in apogæo. Addunt recentiores nonnulli Mathematici, id etiam fieri posse, si Mars & Sol in quibusdam quasi zonis seu annulis inter se certo modo confectis ita moueantur, ut vicissim vnus alterum transcendere, ac rursum subire possit. Quod Mathematicis suo tempore explicandum relinquo.

Interim quoad Kepleri pronuntiatum attinet, quia forte excipiet quispiam, posse quidem ita etiam systema Ptolomaicum conformari, ut quoad apparentias cœlestes paria cum aliis faciat; at non stante soliditate cœlorum; neque tamen integrum nobis est, tam solidam eiusmodi soliditatis tuendæ causam deserere; multo minus systema Copernicanum, iam in Ecclesia Catholica damnatum, amplecti; idcirco ad ipsas etiam obseruationes Tychois, ex communibus saltem & externis principis expendendas me confero: ac breuiter dico, tametsi quidem illæ generatim loquendo iure magni æstimentur, nec facile ac sine magna causa reiiciendæ videantur; nihilominus tamen in particulari aliquo casu, & quoad præsens institutum pertinet, nefas non esse, eis fidem denegare.

Blasphemare forte alicui videri possumus; si absque iusta causa hoc dixerim. Sed ecce rationem dicti, non vnâ. Primum, quia ita censent magni Mathematici, è quibus est Christophorus Clavius, quem non multis ante finem vitæ annis, ita iudicasse, ac ex instituto consultum respondisse constat, si spectas sibi videri Tychois obseruationes; nimirum is in rebus, in quibus illæ à tot seculorum sensu ac sententia adeo discrepant; ut inferius declarabo. Neque hoc suum ipse iudicium vnquam postea retractauit; etsi propter alia phenomena, non à solo Tychone obseruata, sed tubi indicio prodita, nouum systema cœlorum constituendum denique existimauerit, ut quæstione quarta, dub. quarto dicitur.

Secundo, Christophorus Rottmannus Mathematicus Landgrauianus, & ipsemet eius Printeps Wilhelmus Landgravius, Mathematicæ scientiæ non ignarus, Tychonicis obseruationibus quoad longitudes aperte & constanter contradixerunt;

quod Tycho ipse non vno loco fatetur. Siquidem, i. epist. Astronom. epist. ad Lectorem ait, se in epistolis illis inter alia agere etiam, de quinque vel sex minutorum differentia, quæ inter Landgrauianis, inquit, obseruationes & nostras, quoad longitudes fere semper incidit, utroque nostrum pro sua inuentione stante. Vbi occasionem, cur vnica illa gradus in Landgrauii longitudinibus abundet, sufficienter ostendis, si modo id locum mereri potuisset; præsertim apud ipsius Mathematicum; in quem tritium illud quadrare videtur, qui vobis ingenio cedere, nullus erit. Et in epistola ad ipsum Wilhelmum Hassiæ Principem data Anno 1588. 16. Augusti pag. 95. hæc scribit: Quod itaque tua Celsitudo à suis inuentis discedere nolit, ob sedulitatem non mediocrem; in obseruationibus adhibitam, rationes procul dubio habet non contemnendas, quibus ego etiam refragari nolo; neque enim differentia inter nos adeo magna est, ut Astronomicæ certitudini sensibilibus officiat. Similia habet epist. ad Rottmannum data Anno eodem 17. Augusti pag. 111. & rursum epist. Anni 1589. 21. Februarii, pagina 140. & in alia eiusdem Anni, 24. Nouemb. pagina 158. vbi multis etiam de refractionibus & crepusculis inter eos dicitur.

Tertio obseruationes Tychois circa cometas aperte reiecit Scorus quidam, ut ipsemet Tycho fatetur, non imperitus Mathematicus. De qua re queritur Tycho epist. ad Rottmannum data Anno 1595. 14. Ianuarii pag. 288, obiectam sibi ab eo fuisse plumbeam normam (quam ad suum scilicet ipse Tycho arbitrium conformaret); item quod differentia longitudinis inter Cassillas, & locum obseruationis Tychois, in aliquot scrupulis dubia esset; quodque Tycho Landgrauianus obseruationes non omnes, sed selectas quaedam solum suo instituto applicauerit; cum ipse veriores suo arbitratu fuisse alteras existimet, quas Tycho neglexerat. Et subiungit Mathematicum his ad se verbis perscripisse: Tua, clarissime Domine Tycho, si quis alius commendaturus sum ob amicitiam; & nunc vellem; sed amico adulari contra veritatem non soleo. Optarem mihi obseruata, si non demonstrata illius artificis (Rottmanni) communicari, quibus hoc paradoxum (de cometis supralunam positis) asseruit; & an peritiâ scientiæ suæ eo pertingat, ipse esses iudex. Si pro Præsentia tua defensione, veritatem vis manifestari, obseruationes communica. &c. Quod tamen negauit Tycho. &c.

Denique Maginus ep. ad Tych, etsi de cætero systema vniuersi à Tychone excogitatum probare videatur, circa illam tamen Martis intersecationem hæsitat. Cuperem, inquit, solis orbem ac Martis nequaquam se interfecare. Addit ipse quidem: Quod si, ut à studio isto cognos, Martem Acronychum, terra propius accedere, quam Solem, à te est obseruatum, intersecatio huiusmodi omnino admitenda est. Ita Maginus. Sed dictum hoc hypotheticum est: & conditionata, ut dici solet; nihil ponunt in esse. Omitto Abrahamum Roggenbach libro quinto de com. cap. 17. qui & ipse etiam Tychonem incusat, quasi rerum nouarum studiosum; doctrinamque Aristotelis de cometis tuetur.

Secunda ratio est. Quia Tycho ipse fatetur se in suis etiam quamuis exquisitis obseruationibus nonnunquam fuisse deceptum. Patet hoc ex additione

quadam ad caput 2. lib. 2. de cometa Anni 1577. ubi fateretur, se partim defectu exquisitoris instrumenti (& habebat tamen præter radium Astronomicum & sextantem; quadrantem ex orichalco solido affabre elaboratum, & subtiliter subdivisum fere bicubitalem:) partim refractionis nondum satis perspectæ impedimento; partim horologii etiam affabre admodum elaborati, & in secunda etiam scrupula diligenter diuisi ratione, tum in altitudine poli designanda, tum in longitudine & latitudine fixarum constituenda, sæpe pluribus etiam minutis; atque ex consequenti nonnihil in ipsa etiam altitudine cometæ statuenda aberrasse.

85 Idem perspicue patet ex appendice Tomi primi, ubi dicitur, eccentricitatem solis ex obseruato Marte Tychonem certo deprehendisse, esse partium duntaxat mille octingentarum, siue semidiametrorum terre viginti; cum tamen antea maximo labore, exquisitissimis instrumentis, non vno, sed diuersis in locis, sæpius illam obseruauerit atque deprehenderit, esse partium trium millium sexcentarum, seu semidiametrorum terræ quadraginta & vnus. Nt igitur in his exactissimis suis obseruationibus, (& quidem etiam dimidia parte obseruatæ, seu ex obseruationibus deductæ magnitudinis) fuit deceptus; ita etiam in pluribus aliis decipi potuit. Imo cum ex Martis obseruationibus suas ipse Tycho obseruationes priores quamuis accuratas eliserit, quid tamen aliquis potius, ex prioribus illis obseruationibus eiusdem Tychonis, Martis obseruationes suspectas habeat? maxime cum adeo nouum secum inferant corollarium; nimirum *selem, si Ptolomæam suppositionem imitemur, equalibus temporibus, inæquales arcus sua orbita conficere: vt ibidem dicitur, & velut dogma nouum contra Antecessores sequendum præscribitur.*

86 Tertia causa est, quia rationes & occasiones, variaz deceptionis, quas superius §. 2. notat. 2. ex ipso Tychone retulimus, etiam in Tychone vtique locum habere potuerunt: præsertim cum plerasque obseruationes non per se, sed per suos administratos & famulos peregerit, vt ipsemet satis indicat in suis epistolis. Cum igitur ipse præstantissimos quosque Mathematicos, vt ibidem retulimus, incuset, quod præiudicio seu affectui nonnunquam indulserint; quod vnam stellam pro alia inter obseruandum assumpserint; quod temporis interlapsi non satis accuratè fuerit habita ratio; quod in calculatione aliquid subinde erratum; quod instrumenta non fuerint exacta; quod obseruationum delectus & comparatio non recte instituta; quod perpendiculum quadrantis non bene directum &c. quibus ad refractionum, & pro diuersitate partium cæli, temporum item ac locorum maximam varietatem, & obscurissimam incertissimamque rationem, vt superius §. 4. resp. 1. monui, quis securos nos præstabit, Tychonem vna cum suis obseruatoribus, non simili etiam aliqua ratione quandoque in fraudem fuisse inductum? Certe quoad instrumenta attinet, passus non est Rottmannus Tychoniana, etiam maiora, Landgrauianis quoad certitudinem anteferri, vt patet ex epist. Tychonis ad eundem Anni 1589. 24. Nouëb. fol. 159. Sed & Keplerus in Astronom. cap. 11. seipsum testatur interuenisse, cum Tychonis mini-

stri in sua opera, quam ad astrorum motus obseruandos & notandos Tychoni locabant, manifeste errarent. Et cum Ptolomæus, Alphonsus, Regiomontanus, Copernicus in rebus Astronomicis, tot & tanta satis probefuis instrumentis notarint, quomodo credibile est, ea tum in cometis, tum etiam in motu Martis plusquam toto cælo aberrasse? Et quam facile est, aduersus Tychonem retorquere, quod aduersus Regiomontanum præstantissimum Mathematicum, ipse Tycho pronunciauit; eum siue studio nouandi, siue quod suis (aduersus Aristotelem) præiudicium minus consideret, si quam coniecturam de parallaxi aliqua, quæ cometam (non) subleuare redderet, per incuriam aliquam adeptus est, eam mordicus pro veriori retinuisse: videri enim in hoc plurimum laborasse, vt quam (mittimam) erueret.

87 Sed & quarta causa est, quia obseruatio illa Tychonis, per quam, stante terræ immobilitate, eum in ille putauit, Martem cælum siue circulum solis suo motu proprio interfecere, aduersatur omnibus Mathematicis, qui illum antecesserunt; tamis, qui Ptolomæum, quam qui Aristarchum siue Copernicum secuti sunt; nullus in vnquam existimauit, ex aliqua obseruatione, ante Tychonem cognita, eiusmodi inusitatum Martis motum ac periodum constituendam esse; neque vel tanta parallaxeos differentia, vel etiam magnitudinis tanta diuersitas, ab iis vnquam fuit notata; quæ tam immanem Martis descensum sub Solem; & rursus ascensum eiusdem supra Iouem ipsum ac Saturnum, argueret; certe Martis Eccentricitatem aliam visam fuisse Copernico, aliam Tychoni, constat.

88 Quis autem hac in re facile credat vni potius Tychoni, quam toti antiquitati? Aut cum Tycho ipse suis maioribus & antecessoribus, ac in arte Mathematica non imperitoribus, sed forte etiam peritoribus in ea re, aliusve similibus, fidem non habeat; an continuo eam, absque vilo delectu, ab aliis iure vni sibi deposcet? Non loquor de fide in causa religionis; quamuis in hac ipsa quoque male à maiorum suorum vestigiis deuius fuit: sed de fide in ipsis rebus, & obseruationibus Mathematicis; in quibus sæpe pulchrum sibi existimasse videtur Tycho, aliis nullam propemodum habere fidem, vt sibi eam (nouo quasi monopolii genere) solus vendicaret. Sed quod apud prudentes quoslibet, & veritatis potius, quam nouitatis amantes, vt opinor: non facile consequetur: qui potius existimabunt, fidem promissæ non mereri, qui tam ægre grauissimis aliorum testificationibus fidem habeat.

89 Quod tamen non ideo dico, vt Tychoni omnem, aut in plerisque etiam obseruatis ab eo phænomenis, fidem detraham; sed tum ne cui nefas videatur, in aliquo particulari themate, vbi grauissimum tantæ authoritatis præiudicium optimis rationibus fundatum cogit, ab eo dissentire; tum vt Mathematici etiam recentiores eo diligentius rei veritatem obseruando, inuestigare pergant; & studeant, propriis potius oculis, quam alienis credere: ne quod eorum nonnulli in Philosophis hæctenus reprehendere palam consueverunt, vni homini, & quidem in Mathematica scientia nouo, fidem authoritatemque omnem addixisse videantur. Quod si phænomenon illud, constante & consentiente

plurium

plurium obseruatorum & annorum obseruatione, satis fuerit confirmatū, tunc primum de hypothesibus accuratius cogitandum erit.

*S. VII. De stipatoribus Iouis & Saturni.*

90 Ad quintum, de stellis Iouialibus, Responderetur, verissimum id esse phænomenon, à me & alijs frequentissimè inspectum & consideratum, attamen stellas illas nec penetrare, nec rumpere solidum Iouis cælum, sed in eo proprijs, epicyclis ac diuersis singulas (dixerim enim singule habent motum) circa Iouem circumferri. Quod seruata proportione etiam de Saturni stipatoribus dicendum erit; si qui fortè motus in ijs proprii deprehendantur: quod à me quidem hæcenus obseruatum, non fuit; etsi stipatores etiam, illos sæpe distinctè ac perspicue viderim. Nec mirum, nouos assignari epicyclos, vbi nouæ stellæ, nouique stellarum motus, nouis obseruationibus, nouoque obseruationis instrumento deprehendantur; quibus quòd iam olim contrarias obseruationes plerique Astronomi veteres tradiderunt, verbi gratia, Venerem & Mercurium, proprio motu sub sole, constanter ferri, solem verò non circumire; item planetas alios, Iouis comites, nullos esse, &c. (etsi Fanorinus apud Gellium lib. decimo quarto Noct. Att. capite primo iam olim notauit, fieri posse, vt sint planetæ plures, quàm septem, ac forstian latere, propter exuperantiam altitudinis, &c.) ipsi potius Astronomi culpandi sunt, si qua tamen est culpa, quàm Philosophi, qui iisdem Astrologorum imperfectis obseruationibus innixi, imperfectam cælorum compositionem & sistema non tam tradiderunt, quàm ab ipsis acceperunt.

91 Neque verò iuxta disciplinæ suæ principia, rem satis confectam præstant Astronomi quidam recentiores, cum hisce, vel alijs nouis phænomenis in medium prolatis, quantumuis etiam compertis & exploratis, (dubia enim & incerta promiscuè non admittenda, superius monti) probatam superius, & tanto seculorum lapsu comprobata, de soliditate & incorruptibilitate cælorum sententiam conuellerent nituntur, nisi priùs demonstrarent, impossibile esse, vt eiusmodi phænomena, non dico suppositis antiquis hypothesibus, ac veteri cælorum systemate, quod ipsorum maiores olim, & magistri imperfectis obseruationibus præscripsere, sed positâ quacunque etiam hypothesi aliâ, non impossibili, nec absurda, explicentur, ac defendantur, absque liquiditate vel corruptiōne cælorum. Vt enim Iuriconsulto non creditur sine lege, ita nec Mathematico absque demonstratione, facile credendum; præsertim antiqua, non solum Theologorum, ac Philosophorum, sed etiam Præceptorum, scita conuellerent nitenti. Aristotelis sanè hæc doctrina est libro primo Moralium capite tertio cum ait: [ Eruditi est, eatenus exactam in vnoquoque genere explicationem requirere, quatenus patri ipsius natura potest. Nam & Mathematicum suasionibus vtentem approbare, & ab oratore demonstrationes exigere, simile vitium videtur. ]

92 Sed contra hanc rationem defendendi ac conciliandi noua phænomena astrorum, cum soliditate cæli, in multiplicatione potissimum epicyclorum seu eccentricorum caelestium constituta, obijci potest hoc argumentum. Si tot sint in cælo Eccentrici & Epicycli, necesse est, ob varietatem figurarum caelestis corporis, vt ad nos variè refringantur sydera fixa, extra Zenith aspecta; ac proinde fieri non potest, vt eandem semper distantiam inter se, respectu nostri aspectus retineant: quod tamen est contra experientiam: eaque de causa etiam Ioannes Pena de vsu Opticæ pag. 2. totum cælum vsque ad sydera fixa aërea substantiæ esse contendit.

Respondeo: Ex vsu conspiciolorum, seu lentium vitrearum aut crystallinarum, ad sensum liquere; quando duæ vel plures eiusmodi lentes, vna planoconvexa, altera planoconcava, eiusdem alioqui materiæ, eiusdemque curuitatis, sibi inuicem inferuntur, non aliam fieri refractionem, quàm quæ in vitro seu lente vndique plana solet existeret. Et ratio est; quia in diuersis eiusmodi & quodammodo oppositis lentium figuris, oppositi sunt refractionis modi, vna à perpendiculari, altera ad perpendicularem, quæ se se mutuo exæquant & quasi compensant. Cum igitur in præserti etiam Eccentrici & Epicycli caelestes sint eiusdem rationis, & inter se vndique, ac cum reliquo corpore caelesti aptissimè conferantur, non efficiunt aliam refractionem; quàm quæ alioqui ab ipso caelesti corpore, si continuum esset, efficeretur. De Penâ verò & aërea cæli substantia dictum quæst. 3. ex Tychone.

93 Cæterum placet his omnibus, quæ hæcenus tum generatim de obseruationum astronomicarum incertitudine, quatenus receptis antea opinionibus repugnant, tum earum inprimis, quæ à Tychone Brahe circa Martem, quasi infra solem, descendentes notatæ fuerunt, velut coronidis loco addere ea, quæ Ioannes Keplerus in sua Astronomia noua anno 1609 edita, hac de re perscripsit. Nam I. is part. 2. capite 10. pagina 63. in consideratione ipsarum obseruationum, ex quibus venatus est Tycho Brahe momenta oppositionum Martis cum medio Solis, cum obseruationes Tychonis commemorasset, aliqua ex parte non satis coherentes, subiungit: [ Porro hanc discrepantiam ascensionum rectarum posui ideo, vt ostenderem, etiam in ipsa obseruatione aliquot minorum incertitudinem inesse; nisi vbique summa diligentia adhibeatur, nullis destituta commoditatibus. Venerant tunc (Tychonis) instrumenta, nec ea maxima, in Bohemiam; nec tum satis erant bene collocata, ac præterea affecta ab itinere. Sed tamen vsuuenit sapius, etiam in obseruationibus Insulanis] (vbi nimirum Tycho antea sua instrumenta suo placito firmauerat) [ vt ascensiones rectæ à duabus stellis deductæ discrepent tribus scrupulis. De quo cum consulerem Christianum, an obseruationum seu visus imbecillitate accedere credere deberem, respondit, non insolens hoc esse. ] Ita Keplerus. Satis autem constat, in negotio tam subtili trium scrupulorum differentiam seu errorem, magnum importare momentum.

II. Idem Keplerus ibidem, quasi ad parallaxes Martis Tychonis excutiendas viam sternens addit: [Denique hoc quodque hic est monendum, profiteri Tychonem in tabula, se parallaxibus solaribus vsu, in colligendis locis Martis. At iam statim patebit, lubricum & imperceptibile esse negotium parallaxeon Martis; quasi nimirum ea maiores sint, quam solis, ut Tychon posuerat, ad probandum Martis descensum sub solem.]

III. Idem Keplerus citata part. 2. c. 11. ex instituto agens de parallaxibus diurnis stellæ Martis, ex observationibus Tychonis, præmissa eius observatione, mox quid generatim in ejusmodi observationibus desideretur, & qua ex causa earundem fides non vndequaque firma sit, subiungit his verbis: [Anno igitur 1582. cum Mars opponeretur soli in Cancro, incredibilem inueni diligentiam in obseruando, cum titulo Tychonis manu scripto, Pro inquirendis parallaxibus Martis; sed ex qua, aut plane nullâ, aut exiguam elicueris Martis parallaxin (medium scilicet tantam, quanta necessaria foret, ad probandum descensum Martis infra solem.) Taceo, quod, more solito, stellam Martis comparant ad stellam Eclipticæ vicinâ, & plerumq; longe distantes. Cum igitur comparatione matutinâ & vespertinâ observationis, solet inquiri parallaxis stellæ mobilis (Mars enim soli oppositus incedit motu retrogrado) hinc factum, ut fere ab aliis stellis mane, aliis vespere Mars fuerit obseruatus. Cuius enim fixæ mane copia fuit (altioris quippe, quam est Mars) ea si sit Eclipticæ vicina, vespere (Marte iam in plaga occidentali versante) aut occidit, aut obrefractionem inepta est in hoc subtili negotio. Alia igitur substituenda fuit. At si stellæ fixæ aliis permulentur, semper minor fides est negotio, quam si eadem retineatur.] Atque hæc Keplerus de ipsis observationibus Tychonis in genere.

IV. Mox vero etiam calculum ad observationem supradictum adscriptum improbens, ita subiungit: [Cum autem Braheus, passim viris doctis affirmauerit, ex huius anni (1582) obseruatis, inuentam esse parallaxin Martis, notabiliter maiorem solari (quæ nimirum Martem infra solem deprimebat), ego ut operationem, seu calculum hunc penitus inspicere possem, totum librum diligentissime perlustravi. Et inueni quidem titulum, qui ratione profiteretur, inquirendi parallaxin Martis ex illius anni obseruationibus. Sed en rem inopinatâ. Locum Martis obseruandò inuentum, accommodarunt ad schemata Copernicanum, operosissime & diligentissime delineatum. In eo schemate, immane sumpserunt laborem, omnia triangula, quæ causa duplicis epicly in concentrico nascebantur, solvendi numeris prolixissimis: tandemque hic erat finis calculi, ut pronuntiarent, parallaxin Martis, vere fieri maiorem solari. Aliud igitur Braheus proposuerat, aliud ministri calculi sunt executi. Ille volebat, ut ex matutinis & vespertinis obseruationibus inter se comparatis, inquirerent parallaxin Martis: hi vero inquisierunt, quantam parallaxin faceret schema Copernicanum. An igitur ex hac sola suorum ministrorum fide Braheus de parallaxibus pronunciauerit, incompetum est mihi.] Ita Keplerus.

V. Qui mox ulterius progressus, obseruationes easdem Tychonis in specie ac sigillatim excutiens, varia in diuersis a se desiderata annotat pag. 65. v. g. notata semel minuta tantum nouem, cum duabus tertijs quando pro ratione temporis debebantur, minuta 11. & vna secunda; ite excessum, qui ex duabus obseruationibus diuersis elicitur, esse planè minimum, insidum & contemptum quippiam, item in specie ex obseruatione Anni 1583. die 3. Ianuarij, si Mars maiorem habuerit parallaxin, (puta quatuor minutorum) quam soli tribui solet, (trium minorum) velut absurdum consequens deducit p. 66. motum Martis horarium quatuor minutis debuisset videri maiorem illo, qui ex diutino proportionaliter sequitur: quod cum, inquit, obseruationes repudiens, non est igitur Martis parallaxin tanta.

VI. Idem Keplerus ibidem pag. 67. ipsius etiam Tychonis testimonio, excessum illum parallaxis in Marte respectu solis, infirmat, his verbis: Similes extant obseruationes Anno 1585. & 1595. Et passim; ex quibus parallaxis inuenitur exigua, sæpe nulla. Nonnunquam et in contrarium rem accidisse manu Brahei annotatum fuit.

VII. Idem verò Keplerus citata part. 2. c. 11. pag. 67. mox è suis etiam obseruationibus, sanè ingenue, documentum exhibere volens, quam hoc negotium errori sit obnoxium, ita præstat: Exhibebo, inquit, tibi spectaculum ridiculum, & docebo exemplo, ad quid Braheo opus fuerit tanta diligentia, instrumentorum subtilitate, ministris, & reliquo apparatu. Duo mihi sunt instrumenta Sexians ferreus, & Quadrans Arithmeticalis, orichalcinus, iste duntaxat, ille rium & sexies pedum diametro, in singula scrupula uterque distinctus. Mox verò seriem suarum obseruationum describens, varia in eis errata ipsemet deprehendit & annotat, vultum v. g. spatium inter Arcturum & Spicam, visum fuisse graduum 32. minorum 57. quod tamen debuit esse 33. graduum, vnus minutus, 45. secundorum. Et infra: Ergo distantia, inquit, mea minores in se fuere per 4. minuta & 3. tertias. Et mox infra. Ostendebat autem, inquit, altitudo spica non sat bene habere meum perpendicularum. Et rursus pag. 68. Nam certus non sum, inquit, an non regula mea, ferrea & ponderosa cum sit, impetu riuens, solutus trochleis, & impingens (quod factum aliquoties) pinnacida loco mouerit, quæ sunt luxatilia, & excerpticia. Et inferius circa aliam obseruationem: Puro, inquit, nos abundare vno denario minorum; nam flante vento tantummodo carbone ardente, lumen ad divisiones feceramus, ut illa nosci possent. Et mox infra pag. 69. Vt tanta esset vno momento varietas in obseruando, frigus & penetrantissimi venti efficebant. Nudis enim manibus ferrum tractari, claudis trochlea nequibat; rectu non secure firmabatur regula, quoad minutum notaretur.

Et infra circa aliam obseruationem, de obseruata altitudine ait: At paulo post (nescio an luxato pinnacido) non potuit tolerari tanta, &c. sed videbatur requiri 29. graduum, 20. minorum, pro 29. gradibus, 9. minutis, &c. Et pag. 70. denique concludit: Hæc igitur obseruationum series; ex quibus amens sim, si rem subtilissimam eruere nitar. Et tamen pag. 71. Ex his tamen, inquit, qualibuscumque obseruationibus certum efficitur parallaxes latitudinis Martis certo non fuisse maiores 4. minutis, quantum instrumenti incertitudo occu-

pat: credibilis valde exiguus esse. Cuius rei plura argumenta exhibet cap. 64. ubi etiam ait: Hæc tri- bus modis incertitudinem parallaxeos Martis emicimus, &c. Itaque si quis Marti parallaxin latitudinis maximam. 2. vel 2. minorum tribuere velit, eum obseruata hac Braheana non magnopere coarguent.

Omitto quod inferius idem Keplerus pagina 71. notat, sub finem citati cap. 11. nec solis quidem parallaxin certo constare, quantum spectat ad quantitatem, ex eclipsibus indagandam. Et quidem, inquit, non est sol vicinior 230. semidiametris terræ, non tamen infinitis semidiametris abest: ac inter 700. &

2000. semidiametros (quarum summarum illa in mysterio meo Cosmographico, hæc in obseruationibus eclipsium, promeritis citius & vltimis offeruntur) nondum videtur certus aliquis numerus demonstratus, ut in Hipparcho meo probabo. Hæc ex Keplero. Cum igitur totum hoc negotium adeo incertum sit & lubricum; quomodo soliditas cæli tantis argumentis in Scripturis & Patribus fundata, tanta sapientum virorum auctoritate firmata, totque annorum centurijs, perpetuo scholarum vsu recepta & probata, continuo nuperæ alicuius & nutantis obseruatione cula momento conuellatur?

#### QVÆSTIO IV.

De operibus tertiæ & quartæ diei; nimirum de congregatione aquarum & germinatione terræ; itemque de luminari- bus seu stellis in firmamento positis.

S. Thomas I. p. q. 69. & 70.

**A**bsoluetur hæc questio quinque dubitationibus. I. De opere tertiæ diei, nimirum congregatione aquarum, & germinatione terræ. II. De opere quartæ diei: spectatim, ex quâ materiâ quartâ die producta sint sidera; & quomodo Firmamento seu cæli inserta. III. Terræ, an potius cælum ac sidera motu diurno moueantur; & à quo motore; an à Deo immediate, an ab Angelis. IV. Quot sint cæli. præcipue sidera; & an eiusdem omnes essentia. V. An; & quâ ratione cæli in fine mundi sint interituri.

D. V. B. I. V. M. I.

De opere tertiæ diei; nimirum de congregatione aquarum, & germinatione terræ.

S. Thom. I. p. q. 69. aa. 1.

**C**onstat ex Genes. capite primo, versu nono & sequentibus, vtrumque hoc fuisse opus tertiæ diei; nimirum & congregationem aquarum in vnum locum, & germinationem terræ. Cuius rei & ordinis conuenientiam rectè exponit Sanctus Thomas citat. quæstione 69. art. 1. & 2. Scriptura enim Genes. 1. v. 1. & 2. tria expresse nominat, tanquam præ ceteris sensu perceptibilia, quæ simul in principio fuerunt creata, nimirum cælum, aqua, & terra; quibus scriptura totidem attribuit infirmitates, nimirum singulis singulas. Ad cælum enim, quod est superius, pertinet infirmitas tenebrarum, (quasi originaliter) quia ex eo est origo luminis; (eiusdèq; subiecti est forma & priuatio.) Infirmitas verò aquæ, quæ est mediâ (inter cælum & terram) significatur nomine *Abyssi*; quia hoc nomen significat quandam immensitatem inordinatam aquarum, ut Augustinus dicit lib. 22. cont. Eufumium cap. 11. Infirmitas verò terræ in hoc posita erat, quod & inuisibilis esset, utpote aquis vndiq; cooperta; & inanis ac vacua, adeoq; destituta omni decore; qui terræ accedit ex plantis eam quodamodò vestientibus. Conuenienti igitur ordine Deus post opus creationis, mox aggressus est opus formationis rerum iam antea creatarum; ita ut

primo die formaretur supremum corpus, nimirum cælum indita luce; secundo die formaretur quodamodò aqua, per firmamentum accipiens quandam distinctionem, & ordinem; tertio denique die formaretur terra, tum congregatione aquarum in vnum locum, quæ priori eius infirmitati opponitur; tum germinatione ipsius terræ; quæ alteri eiusdem infirmitati aduersatur. His positis de utroque hoc opere quædam, quæ declaratione opus habent, breuiter sunt explicanda.

Primo enim quæritur; quonam modo facta sit illa congregatio aquarum Genes. 1. versu 9. supponendo, quod congregatio illa aquarum, & apparitio aride non sit ipsa productio aquarum & terræ, uti iuxta suam illam sententiam putauit Augustinus lib. 1. in Genes. c. 15. & lib. 4. cap. 22. & 34. & refert nec improbat S. Thomas cit. q. 69. art. 1. quod tamen ex quæst. 1. dub. 4. refutatum est. Ad sensum igitur explicatum de quæstione proposita differens Sanct. Augustinus libro 1. super Genes. cap. 12. tres modos commemorat. Primum, si aqua quibusdam locis velut in montes erecta & accumulata, terræque altior facta, alia terræ loca, nuda reliquerit;

Sicut

Sicut fit, inquit Augustinus, cum ad ventilandū in area, mesis trita surrigitur, & congesta in aggerem, nudat locum, quem diffusa contexerat. Secundum. Si rarior, inquit, aqua velut nebula terras tegebat, quæ congregatione spissata est, ut eas partes terra nudaret, in quibus arida apparuit. Tertium. Si terra longè lateque subsidens, aliquas partes præbuit concauas, quibus confluentes & corruentes aquæ reciperentur, & appareret arida ex his partibus, vnde humor abscederet.

3 Quos modos refert etiam Sanctus Thomas citata questione 69. articulo primo, & primum ceteris præfert; supponens re ipsa nunc mare altius esse terram, quod etiam senserunt Basilius 4. Hexaem. Ambrosius libro 3. Hexaem. capite secundo & tertio, & sequuntur Burgenfis & Catharinus in cap. prim. Genes. & Canus apud Molinam infra. Sed huic sententiæ merito refragantur Sanctus Augustinus loco citato, Caietanus hic in caput prim. Genes. Pererius ibidem, Clavius in caput 1. sphaeræ, Molina hic de opere sex dierum disputatione vndecima, & Gregorius de Valentia disputatione 5. quæstio. 3. punct. 3. Tum quia Scriptura loquitur de mari tanquam re inferiori ipsa terrâ, Psal. 23. *Ipsæ super maria fundavit eam*; nimirum aquas ei magna ex parte subijciendo. Et Psal. 106. *Qui descendunt mare in nauibus*. Tum quia & ipsa grauitas aquæ natura sua semper ad inferiora labentis; & ratio optica, quæ terra ad designatum interuallum ex æquo in omni loco maris conspicua est; adeoque vnum; cum aqua globum efficere deprehenditur; & ars nautica, quæ ceteris paribus in omnes partes nauium cursus ex æquo, ac pari facilitate, nec minus facile à portu, quam in portum flestitur, aduersantur.

4 Neque valdè probabilis est secundus explicandi modus; sic enim aquæ elementum initio non secundum naturalem suum statum & conditionem fuisset creata. Amplectendus ergo tertius; quem optimè tuentur Pererius, Molina, & Gregorius de Valentia: qui tamen modus sic intelligendus est, vt non omnis omnino aqua in maria conuerit, sed solum maiori ex parte; nonnulla interim etiam per flumina distributa; vt cum Basilio homil. 4. notauit Valentia loco citato. Quanquam vnus etiam locus, in quem omnes aquæ conuerit, intelligi potest, tum vnitate quasi genericæ, differente à communi ratione omnis loci sicci & habitabilis, iuxta Sanctum Thomam cit. artic. 1. ad 3. tum etiam indiuidua, per quandam continuitatem; qua probabiliter creduntur omnes inter se aquæ terræ; tam marium, quam fluuiorum continuari, iuxta Sanctum Thomam citat. art. 1. ad 3. itemque Basiliūm homil. 4. Hexaem. Ambrosium libro primō Hexaem. capite secundo, & Hieronymum in caput. tert. Habacuc; fauente etiam Scripturâ Eccles. 1. vers. 7. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.*

His addo, vti tertio die ad recipiendas aquas & maris, terra vndique voraginibus, & quasi cavitatibus quibusdam exhausta est; ita etiam credibile esse, eodem die pariter valles & montes in terrâ primum constituisse; quibus ipsa etiam terra propter aquas suis locis emota; magisque condensata & in petras

durata; materiam subministrare potuit. Sicut etiam tacite indicat Sanctus Thomas citat. questione 69. artic. 2. ad 3. mineralia eodem die in terrâ visceribus fuisse procreata; licet ea Moyses ideò præterierit; quod occulta sint & in sensus non incurrant. Ego enim existimo, elementa omnia ab initio, vt consentaneum erat, in statu maximè puro & naturali fuisse producta.

6 Secundo quaeritur, quid sibi velit illud, quod Moyses Genes. 1. postquam iam antea vers. primo dixerat, terram in principio fuisse à Deo creatam; postea tamen rursum dicit, *Et vocauit aridam terram*; cum tamen aliquid hoc vel illo nomine à Deo vocari, non sit aliud, quam Deum dedisse naturam, vel proprietatem, vt possit sic vocari, vt rectè docet S. Thomas quæst. 69. art. 1. ad 5.

7 Responderetur omnia sententia Augustini libro primo super Genes. cap. 13. & libro secundo capite secundo, qui suæ sententiæ superius questione prima dubio quarto refutat in hærens, per terram priori loco nudam materiam primam, posteriori autem loco ipsum elementum terræ putauit significari, id ob eam solum causam fuisse dictum; vt indicaretur vtroque titulo, & ratione suæ substantiæ, & ratione proprietatis nimirum ariditatis, terræ nomen, (sive Hebraicè ער) ei posse conuenire, vt cum Basilio homil. 4. Hexaem. Sanctus Thomas ibidem: ita vt prius nomen iam antea terræ designatum, & à Moysè tributum, postea accedente actuali ariditate ei quasi confirmaretur.

8 Tertio quaeritur, vtrum actu tunc productæ fuerint herbe & arbores; an solum virtute; eò quod terra tunc acceperit virtutem eas postea producendi. Responderetur ex communi Patrum & Doctorum sententia, & iuxta apertam Scripturæ textum citat. capite 1. Gen. vers. vndecimo & duodecimo, actu fuisse productas; quicquid in contrarium dixerit Augustinus libro 5. super Genes. c. 4. & 5. ob eam ipsam causam superius questione prima dubio quarto refutatus: cuius sententiam quoad hoc ægrè quidem, sed tamen ad extremum velinuit deserit Sanctus Thomas hic quæst. 69. artic. 2. vt notauit Caietanus ibidem. Illud verò capite 2. Genes. vers. 5. *Fecit Deus omne virgultum agri, antequam oriretur in terrâ, omnemque herbam regionis, priusquam germinaret*; perinde est; ac si dixisset Moyses, priusquam deinceps successu temporis, per virtutem feminalem; alia ex alijs propagarentur, vt ex communi rectè notauit S. Thomas ibidem.

9 Quarto quaeritur, an etiam tunc productæ fuerint plantæ noxiæ hominibus, vt spinæ, tribuli, herbe venenatæ. Negant Basilius homil. 5. Hexaem. & olim Augustinus libro 5. de Genes. cont. Manich. capite 13. Sed verius idem affirmat idem Augustinus libro 3. super Genes. cap. 18. & Sanctus Thomas cit. quæst. 69. a. 2. ad 2. ex com. & aperte colligitur ex ipsis Scripturæ verbis Genes. 1. vers. 11. & 12. cap. 2. vers. 5. *Et omne virgultum agri, &c.* Ratio est. Quia & hoc natura rerum postulat; & ea ipsa variè profunt, tum hominibus, tum animantibus ceteris; tum ad medicamenta, tum ad cibum; tum ad eruditionem, partim etiam ad ipsarum rerum, in quibus existunt, tutelam, vt ibi gratia spinæ, ipsarum rosarum custodiam. Nec obstat illud

Genes. cap. 3. vers. 18. *spinis & tribulus germinabit tibi*, signanter enim dictum est tibi, hoc est, tuo incommodo, in vindictam peccati, vt rectè S. Thomas cit. quæst. 69. art. 2. ad 2.

10 Quinto quæritur, quomodo terra tunc produxerit herbam virentem, & plantas, & arbores, an actiue quoque, an solum passiuè. Respondeo cum Abulensi, & Pererio in hunc locum, Gregorio de Valentia disp. 5. quæstione 3. punct. 3. consentiente etiam Sancto Thoma quæstione 7. art. vn. ad 1. immediatè solum passiuè produxisse; etsi contrarium asserat Caietanus in c. 1. Gen. hoc loco. Ratio est. Tum quia absque ingenti miraculo fieri non potuisset, vt ita de repente terra actiue tam varias & perfectas arbores produceret. Tum quia etiam nunc terra dicitur producere & germinare arbores; & plantas; cum tamen ad eas ipsa (maiori ex parte & immediato concursu) passiuè solum concurrat; non actiue; quod virtuti feminatiue conuenit, siue ea in radice, siue in stipite, siue in fructu, aut etiam cortice insit, vt rectè notauit Sanctus Thomas hic quæstione 69. articulo secundo. Atque hæc de opere tertiæ diei satis.

#### DVBIVM II.

*De opere quarta diei; speciatim an ex qua materia quarta die producta sint sidera; & quomodo Firmamento seu calis fuerint inserta.*

S. Thomas 1. p. q. 70. aa. 3.

11 **T**Orum opus sex dierum, iuxta Sanctum Thomam hic quæst. 70. initio & a. 1. q. 74. a. 1. & communem Doctorum ita distinguitur, vt supposito opere creationis, seu primæ ac substantialis productionis ipsius mundi, sequentibus deinceps diebus subiungeretur primum quidem opus distinctionis; quod tribus diebus absoluitur, & continetur productione lucis, firmamenti, & collectione aquarum in vnum locum: deinde verò ac postremo sequeretur opus ornatus eiusdem mundi, quod quarto & sequentibus diebus absoluitur. Nam vt ait S. Thomas quæstione 74. art. 1. *Oportuit primò distinguere partes mundi, & postmodum singulas partes ornari per hoc, quod quasi suis habitatoribus replentur. In creatura autem corporali tres partes designantur. Prima, quæ significatur nomine calis; media, quæ significatur nomine aque; infima quæ significatur nomine terra. Prima ergo pars distinguitur (per lucem) prima die; & ornatur quarta: media distinguitur secunda die, (productione firmamenti in medio aquarum) & ornatur quinta. Infima distinguitur tertia die (separatione aquarum) & ornatur sexta.* Ita Sanctus Thomas loco citato. Atque hæc ipsa est ratio ordinis, tam huius, quam sequentium dierum operum.

2 Quod verò ad quartæ diei opus attinet, quod est productio stellarum in firmamento ex Genes. 1. vers. 14. vsque ad 19. suppositis ijs, quæ de ratione fir-

mamenti, ac soliditate cælorum diximus, quæstione tertia, quæritur primo; an & ex qua materia sydera fuerint producta. De qua re varie sunt Doctorum & Expositorum sententiæ. Prima esse potest, fuisse non ex aliqua materia producta, sed creata ex nihilo. Sed est contra Sanctum Thomam hic quæst. 70. art. 1. & communem Patrum & Doctorum, qui opus creationis substantiarum totalium primo die, vel ante primum diem docent esse absolutum, vt dictum quæst. 1. dubio 2. & consentiunt recentiores. Fuerunt ergo sydera ex materia præsupposita producta; quod etiam ipsa Scriptura indicat, dum ait, *Fiant luminaria, &c. Fecitque Deus duo luminaria*; non creauit. Alij in quibus Molina disp. 1. 5. dicunt fuisse producta ex materia elementari. Sed iuxta ea, quæ docuimus quæstione 2. dub. 2. dicendum est, fuisse producta ex materia cælesti, vt Sanctus Thomas hic quæst. 70. a. 1. & omnes ferè Interpretes ac Expositores consentiunt; idque magis patebit ex resolutione sequentis quæstionculæ.

3 Secundo quæritur, vtum luminaria eo die fuerint etiam quoad substantiam, seu formam substantialem, an solum quoad formam accidentalem producta. Respondeo cum S. Thoma ibidem a. 1. ad 1. Pererio in hunc locum Genes. Gregorio de Valentia hic quæstione 3. punct. 4. & communiori, solum fuisse producta secundum formam accidentalem. Ratio est. Quia cum astra sint substantiæ naturæ suæ incorruptibiles, adeoque non elementari, sed cælesti materia constantes, fieri secundum naturas rerum conuenienter non potuit, vt eorum materia, ab initio vtiq; creata, sub aliâ forma substantiali esset, aut propriâ formâ substantiali sibi debita careret. Contrarium tamen sentiunt Molina hic disput. 1. 5. & alij, qui cælos ipsos sydereos, ac sydera ex elementari materia fuisse producta consentiunt, quod superius quæst. 2. dub. 2. refutauimus. Nec obstat, quod, vt Molina & nonnulli Philosophorum opinantur, astra inter se, & ab orbibus suis specie differunt. Tum quia hoc ipsum non minus probabiliter Pererius, & alij negant. Tum quia etiam si ita esset, ea tamen ipsa distinctio substantialis iam in primâ cælorum productione eis poterat competere, etiam si tunc astrarum ac syderum appellationem necdum mererentur, vt dicemus.

4 Tertiò quæritur, qualis sit ea forma accidentalis, secundum quam sydera quarto die fuerint producta. Respondeo, eam in primis esse lucem ipsam, quæ tunc primum sydereis illis substantijs constanter & quasi immobiliter fuit indita; præsertim soli: (à quo alia fortè stellæ, & astra lumen suum mutuauerunt) & à quâ luce, sydera & astra ipsa suam appellationem potissimum desumunt. Quod ipsum etiam indicat Scriptura; cum rationem seu terminum formalem eius productionis exprimens ait versu decimo quarto. *Fiant luminaria, &c. vt luceant in firmamento calis, &c.* hebraicè *Meoroth*, græcè apud LXX. *Φωσφες*.

5 Deinde alterum accidens est, motus difformiter vniformis, ex quo varietas quatuor anni temporum, veris, æstatis, autumnii, & hyemis, dierumq; artificialiū varia longitudo oriretur, ac demum tori

anni seu lnnaris, seu solatis (diuerso respectu) periodus sumeretur. Quod significat scriptura ibidem. *Et sunt in signa & tempora, & dies, & annos.* Atque in his duabus formis omnes conueniunt. Addit S. Thomas cit. q. 70. a. 1. ad 2. variam ac diuersam efficientiam respectu inferiorum: quæ tamen aliunde probabiliter non fuit nata, quam ex diuersa luminis participatione.

6 Plus dicunt alii nonnulli, qui volunt, ipsam etiam condensationem variam materiæ cœlestis, qua diuersa lucis capacitas ac radiatio nititur, tunc primū astris, seu potius materiæ cœlesti ad conficienda astra fuisse inditam. Ita Vielmius apud Pererium; & valide quidem hoc ad perspicuitatem, & maiorem significantiam verborum scripturæ, *Fiant luminaria &c.* conferret, si absq; absurdū affirmari posset. Sed quia materia cœlestis iam secundo die, quoad opus erat, fuit condensata ac solidata; ipsaque firmamenti soliditas obstabat, quo minus ad loca stellarum, ex materia cœlorum adhuc liquida, supra firmamentum constituta; maior adhuc materiæ condensanda copia accersiri posset; neque rerum natura fert, vt vel per corporum penetrationem eo diuinitus adduceretur; aut etiam firmamentum ipsam quasi a peritis fenestris perforaretur, verius est, soliditatem debitam in astrarum materia iam antea præextitisse, vt recte ibidem Pererius; & supponunt cum S. Thoma alii.

7 Inde vero sequitur, nec ex ceterorum astrarū, nec ex solis (de quo potissimū esse potest difficultas) forma substantiali lucem per modū proprietatis emanare, sed solum velut accidens commune eis competere, vt supponit Gregorius de Valentia q. 3. pun. 1. vbi dicit, *lucem commune quoddam accidens esse plurimum corporum diuersorum, non autem vltius corporis propriam passionem inseparabilem.* Idem supponit Pererius hic, etsi contrarium de sole asserat Molina citat. disp. 15. Ratio præter ea, quæ diximus, est. Quia cum corpora cœlestia quoad substantiam iam primo die creata sint, ex communi sententia Patrum & Doctorum, vt dictum q. 1. dub. 2. certe si lux propria esset solis aut cœlestis corporis passio, iam illo ipso primo instanti primæ diei in sole siue cœlis illuxisset; quod tamen manifeste est contra scripturam, quæ testatur, post creationem cœli & terræ, nihilominus tenebras fuisse super faciem abyssi, vt dictum cit. q. 1. dub. 1. Differt nihilominus lux illa solis, & si quæ propria est aliorum syderum, à lumine; quia illa ex sua natura permanens est qualitas, & fons luminis: quod & ab illo velut fonte emanat; & tam in esse, quam in conseruari, ab illius iugi influxu necessario dependet.

8 Quarto queritur, quomodo stellæ & sydera quarto, vt diximus, die posita sint in firmamento. Respondet cum S. Thoma cit. q. 70. a. 1. ad 3. quia fuerunt (secundum rationem talis corporis) in ipso corpore cœlesti seu firmamento producta; eidemque quasi inserta, ita vt ab ipso & vna cum ipso firmamento circumagerentur: quicquid nonnulli dixerint, stellas non esse fixas in sphaeris, sed habere motum scer-

sum à motu sphaerarum, de qua te actum questione tertia, dubio secundo, & dub. 3. §. 2. vbi simul etiam ex Bonauentura retulimus, quænam, etiam stante soliditate cœlorum, inter Physicos olim (ipsumque Aristotelem) & inter Ptolomæum, aliosque Mathematicos, fuerit hac de re dissensio; in quâ etsi non solum Bonauentura ibidem, sed etiam Sanctus Thomas hic, Physicis potius adherendum statuunt; nunc tamen communiter Mathematicorum sententia proprios epicyclos & eccentricos planetis tribuens præfertur.

9 Quinto queritur, quare sol & luna dicantur luminaria magna; cum tamen pleræque stellæ, sint luminaria maiores. Respondetur cum Sancto Thoma articulo primo ad 5. quia secundum aspectum multo videntur ceteris omnibus maiora; curationi Chrysofomus homil. 6. in Genes. addit maiorem præteris efficaciam.

10 Sexto queritur, ob quam causam facta sint luminaria. Respondeo hoc optimè explicari à Sancto Thoma citata questione 70. articulo 2. his verbis: [*Moyse, vt populum ab idololatria reuocaret, illam solam causam (luminarium) tetigit, secundum quod sunt facta ad vtilitatem hominum. Vnde dicitur Deuter. 4. Ne forte eleuatis oculis ad cælum, videas solem & lunam, & omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus in ministerium cunctis gentibus. Hoc autem ministerium explicat in principio Genes. per tria. Primò enim prouenit vtilitas hominibus ex luminariis, quantum ad visum, qui est directius in operibus, & maxime vtilis ad cognoscendas res; & quantum ad hoc dicit, vt luceant in firmamento, & illuminent terram. Secundò quantum ad vicissitudines temporum, quibus & fastidium tollitur, & valetudo conseruatur, & necessaria victui oriuntur. Quæ non essent, si semper esset aut æstas, aut hyems; & quantum ad hoc dicit, vt sint in tempora, & dies, & annos. Tertio quantum ad opportunitatem negotiorum & operum; in quantum ex luminariis cæli accipitur significatio pluuiosif temporis vel serenis; quæ sunt apta diuersis negotijs. Et quantum ad hoc dicit, vt sint in signa, &c.] vt bene etiam explicat Theodoretus questione decima quinta in Genes. Quo tamen ipso loco Origenes olim abusus est ad asserendam prænotionem contingentium euentuum futurorum, ex astrarum inspectione, contra illud Hieremiæ decimo versu secundo. *A signis cæli nolite timere, quæ gentes timeant; vt videre est apud Eusebium Cæsariensem lib. 6. de præpar. Euang. c. 9. De qua realibi. Atque hæc ad communem qualificationem operis quarti diei cognoscendam pertinent. Restant nunc tres dubitationes, quæ ad rationem eiusdem operis magis particulatim explicandam spectant, ordine & sigillatim deinceps explicandæ: quibus adiungi quidem poterat quarta, an stellæ sint animatæ, de qua agit S. Thomas hic quest. 70. articulo tertio, sed de hac re iam actum est questione 2. dubio quarto.**

## DVBIVM III.

*Terrane, an potius cœlum, ac sydera motu diurno moueantur; Et à quomotores an à Deo immediate, an ab Angelis.*

S. Thom. I. p. q. 70. a. 3. & q. 110. a. 1. & 3.

**F**ertur olim Pythagoræ ac Pythagoricorū, atq; etiam Aristarchi, veteris Mathematici, fuisse opinatio, cœlos non moueri, nec sydera, saltem motu illo diurno, quem peragere videntur ab Oriente in Occidentem; sed terram. Quod nostra quoque ætate Copernicus, & post eum nonnulli alij Mathematici recentiores tuerunt. Sed & de causa efficiente huius motus est nonnulla hodie disceptatio. Cum enim cōmunis hæcenus tam Philosophorum, quam Theologorum fuerit sententia, cœlum nec à sua forma, nec à Deo solo ac immediate, sed ab Intelligentijs seu Angelis moueri, est tamen hodie, (Leonardus Lessius lib. 11. cap. 8. de perfect. diuin.) qui multis rationibus suadere nititur, cœlos à solo Deo immediate moueri. Ut taceam Albertum de Saxonia, & Valefium, aliosque, & ex antiquis Philosophis nonnullos, qui cœlos à sua forma intrinseca aut solū, aut certe adiuuante simul Intelligentia, moueri dixerunt, apud Bonauenturam in 2. dist. 14. a. 3. quæstion. 2. & Conimbricenses lib. 2. de cœlo capit. 15. quæstion. 5. artic. 2. Nos sequentibus assertionibus sententiam nostram ita breuiter exponimus.

**A**sertio I. Non terra, sed cœli, siue sydera motu illo diurno ab Oriente in Occidentem mouentur. Ita habet cōmunis ac certa omnium Theologorum ac Philosophorum naturalium sententia & doctrina; quam perspicue tradit scriptura sacra Eccles. 1. v. 4. & sequentibus, vbi dicitur: *Generatio præteritis, & generatio aduenit, terra autem in æternum stat. Oritur sol & occidit, & ad locum suum reuertitur; ibiq; renascens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem; lustrans vniuersa in circuitu, pergit spiritus (sol), cunctis quasi rebus vitam inspirans, easque animans* & in circulo suo reuertitur. Vbi perspicua hypotyposi expressum pariter habemus, & terram stare, & solem moueri. Et Psalm. 18. versu 6. & sequentibus ad literam de sole dicitur: *Ipse procedens tanquam sponsus de thalamo suo, exultauit ut gigas, ad currendam viam. A summo cœlo egressus eius, & occursum eius usque ad summum eius: nec est qui se abscondat a calore eius.*

Idem significat scriptura pluribus locis, quando ait, solem, lunam, aliasque stellas oriri & occidere. Item quando velut ingens miraculum commemorat, quod orante ad Deum Iosue, sol steterit. Iosue 10. versu 12. *sol contra Gabaon ne moueretur, & luna contra vallem Aialon. Steteruntque sol & luna, donec discerneretur se gens de inimicis suis* &c. *Stetit itaque sol in medio cœli, & non summu occumbere spatio vnus diei.* Idem colligi-

tur ex historia Ezechia 4. Regum 20. quando incius gratiam Deus reduxit umbram per lineas, quibus iam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus. Et quod respondere forsitan aliquis possit, regressum illū umbræ in horologio Achaz, solius etiam terræ motu effici potuisse, id ex eo facile refellitur. Nam præterquam quod effugere sensum vix potuisset tam repentinus in aduersam partem terræ motus; insuper etiam Eccli. 48. versu 26. vbi rursus de hac ipsa re sermo est, expresse dicitur: *In diebus ipsius (Ezechia) retro rediit sol, & addidit regi vitam.* Vbi aperte audis, non umbram tantum, sed solem retro rediisse.

Idem colligitur ex historia eclipsari solis tempore passionis Christi, prout à S. Dionysio describitur epist. 7. ad Polycarpum vbi ait: *Eramus una ambo (Dionysius & Apollophanes) & stabamus ad Heliopolim; lunam inopinato se soli obijcientem cernebamus; neque enim coniunctionis tempus erat: rursusque cum eadem, ab hora nona ad vesperum, se medice solis linea præter naturam ordinem opponebat.* &c. *Scit etiam (Apollophanes) obiectum ipsum (quæstionem) seu incidentiam lunæ in solem, à nobis visum esse oriri ab ortu solis, & ad solis extremum peruenire, postea repedare; rursusque non ab eadem parte solis, & obiectum & recessum euenire; sed recessum ab ea, quæ, ut ita dicam, naturali ex diametro erat contraria* &c. Vbi quamuis de motu quodam prodigioso lunæ sit mentio, facile tamen inde colligimus, astris non repugnare motum illum diurnum, quantumuis velocem.

Sed & stellas ac sydera, speciatim solem ac lunam moueri motu diurno, communis est, & consentiens doctrina non solum Scholasticorum Theologorum, ac Philosophorum, sed etiam SS. Patrum omnium, speciatim Philastrij & Diodori Tarfensis, qui oppositam sententiam hæresis aut erroris nota damnare videntur; v. dicitur q. 6.

Sicut etiam nuperrime eadem sententia, quod terra moueatur, cœlum & sydera non item, à Congregatione Cardinalium ad indicem librorum prohibitorum deputata, sub moderno Pontifice Paulo V. damnata est his verbis: *[Et] quia etiam ad notitiam præfata sanctæ Congregationis peruenit, falsam illam doctrinam Pythagoricam, diuinæque scripturæ omnino aduersantem, de mobilitate terræ, & immobilitate solis, quam Nicolaus Copernicus de reuolutionibus orbium cœlestium, & Didacus Astunica in Iob etiam docent, iam diuulgari, & à multis recipi, sicuti videre est, ex quadam epistola impressa cuiusdā P. Carmelitæ, cuius titulus Lettera del Re. Patre Maestro Paolo Antonio Folcarini Carmelitani, supra opinione de Pythagorici e del Copernico, della mobilita della terra, e stabilita del sole, & nouo Pythagorico sistema del mondo, In Neapoli, per Lazaro Scorigio 1615. In qua dicitur pater, ostendere conatū, præfatam doctrinam de immobilitate solis in centro mundi, & mobilitate terræ, consonam esse veritati, & non aduersari sacra Scripturæ. Ideo ne vltius huiusmodi*

opinio in perniciem Catholicae veritatis serpat, censuit dictos Nicolaum Copernicum de reuolutionibus orbium, & Didacum Astunica in Iob, suspendendos esse, donec corrigantur. Librum vero P. Pauli Foscarini Carmelitæ omnino prohibendum, atque omnes alios libros pariter idem docentes prohibendos; prout præsentis decreto omnes respectiue prohibet, damnat, atque suspendit. In quorum fidem præsens decretum manu & sigillo Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Cardinalis Sanctæ Cæcilie Episcopi Albanensis, signatum & munitum fuit, die 5. Martij 1616. Romæ ex Typographia Camera Apostolicæ Anno 1616.] Hactenus decretum: quo sane fit, vt opposita doctrina tuto defendi amplius non possit.

7 Ex quo simul etiam patet, quod superius q. 7. §. 1. notauimus, quantum inter obseruationes & hypotheses Mathematicorum intersit. Obseruationes enim Copernici hactenus nemo damnauit; quin etiamnum in pretio sunt: at vero hypotheses eiusdem quasi pro libito tantum, ac sine vilo firmo fundamento constitutas (cum obseruationes eadem aliter possint explicari & defendi) damnatas videmus. Omitto rationes philosophicas, quibus eadem Pythagorica doctrina efficaciter refelli potest.

8 Assertio II. Cæli nec à seipsis, seu forma sua intrinseca; nec immediate à Deo, sed ab Intelligentijs seu Angelis assistentibus mouentur. Ita docent Plato 1. de leg. & Aristoteles 8. Physic. capit. 6. tex. 52. & 12. Metaphys. tex. 43. quos sequuntur Sanctus Thomas hic quæstion. 70. articulo tertio, & 110. articulo tertio, Albertus Magnus in 2. d. 14. articulo 6. & 12. Metaphysic. tract. 2. capit. 10. Bonaventura in 2. dist. 14. articulo tertio quæstione secunda, Egidius quæstione quinta, Scotus quæstion. 1. Durandus quæstion. 2. Capreolus d. 9. quæstio. 1. artic. 3. Ferrariensis 5. cont. gent. capit. 46. Sotus 2. Physic. quæstio. 11. Toletus, & Conimbricenses 2. lib. de cælo capit. 5. Suarez tom. 1. Metaphysic. disputat. 18. sect. 3. numero 36. Ruuius lib. 1. de cælo cap. 2. quæstion. 8. & Pererius lib. 7. Physic. cap. 8. & lib. 2. in Genesim. quæstion. 6. vbi dicit, eam sententiam quasi per manus traditam fuisse inter antiquos philosophos, & postea à Theologis receptam, quod in re vtrinque inuidenti magnum est veritatis argumentum. Accedit, quod S. Thomas opusc. 10. articulo 3. & opusc. 11. articulo 2. docet, esse omnino certam sententiam, & physicis rationibus demonstratam; & de potentia quæst. 6. articulo 3. inquit, *fidei sententiam esse, quod substantia separata, sine Angelis moueant corpora cælestia: vti & Bonaventura loc. cit. vocat eam sententiam fidei consentaneam.* Sed qui auctores loquuntur contra eos, qui à sola forma intrinseca cælos moueri docuerunt.

9 Probatur hæc assertio primo ex scriptura, quæ etsi non aperte hanc doctrinam asserat, multum tamen illi fauet. Vt cum Iob 9. v. 13. dicitur. *Sub quo curuantur, qui portant orbem* Et capite 26. vers. 11. *Columnæ cæli contremiscunt* et

passent ad nutum eius. Quibus verbis, si ad Angelos, vt sanè commode possunt, referantur, satis aperte ministerium aliquod, seu præsentia Angelis erga mundum & cælos transferibitur. Eadem ratione commode intelligi potest illud Luc. 21. v. 26. *Virtutes calorū mouebuntur*; hoc est, suo loco seu officio mouebuntur, non amplius consueta lege cælos & sydera moturi.

Secundo probatur ex Patribus, quorum hæc quali fixa regula & Theologicum axioma est, Deum non sine medijs causis interuenientibus regere & gubernare mundum; sed inferiora per superiora, & infima per media regere, & in suos fines dirigere, vt videre est apud Dionysium cap. 5. cæli hierarch. & lib. de diuin. nom. cap. 8. Augustinum 3. de Trinit. cap. 8. & Gregorium lib. 4. dialog. c. 4. Vide supra q. 6. dub. 8. de Angel.

11 Tertio probatur ratione. Nam quod cæli à sua forma intrinseca non moueantur, satis probatur ex eo; Tum quia aliquo post diem iudicij quies esset illis violenta. Tum quia à forma intrinseca ac mere naturali nullum corpus mouetur, nisi ad aliquem locum seu terminum, quo perficiatur; & quo acquisito quiescat. Quod etiam à solò Deo immediate non moueantur suadet tum ex Patribus adducta ratio. Tum quod à Maiestate Dei alienum videatur, corporibus loco mouendis immediate ac sine omni medio intentum esse: sicut esset à Maiestate Regis alienum, per se immediate horologium dirigere, etiam si ad huius normam vniuersa Regni negotia administranda forent. Denique nulla potest adferri ratio, quæ vel impossibile, vel absurdum esse cõuincat, vt Angeli cælos moueant; vti mox ex solutione argumentorum patebit. Ergo veteri & receptæ Peripateticorum doctrinæ insistendum.

12 Obijciatur primo. Pare est, vniuersalem mundi gubernationem proxime à causa vniuersali ad omnia pertinente, non à particularibus & restrictis pendere. Quod confirmari potest etiam ex illo Iob 34. vers. 13. *Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?*

Respondeo, si loquamur de gubernatione vniuersali absolute, quæ videlicet ad vniuersum orbem, omnemque naturam creatam pertineat; de qua allegatus Iobi locus loquitur, conceditur assumptum; si autem de vniuersali solum in certo genere, nimirum respectu naturæ solum corporeæ, ad quam motus cælorum spectat, negatur assumptum; id enim est contra Doctores & Patres citatos; qui etiam idcirco docent, Deum immediate providere rebus omnibus; sed non per se immediate gubernare omnia, vt videre est apud S. Thomam q. 22. a. 3. & q. 103. a. 6.

13 Secundo obijciatur. Incredible videtur, tam immensæ vastitatis corpora ab Angelis, valde limitatas in orbe vires habentibus; per tota secula torqueri posse; præsertim tam incomprehensibili velocitate, & tam stupenda æquabilitate. Velocitatem motus ostendit, quod sol iuxta astronomos, singulis horis plusquam vndecies centena millia milliariū peragit. Vna vero stella spheræ octauæ circa æquinoctialem

corundem astronomorum iudicio, vna hora percurrit supra 42. milliones milliarium; quantum videlicet eques quotidie 40. milliaria percurrrens, annis bis mille nongentis vis conficeret. Quanta igitur supremæ spheræ mobilis erit pernicitas? Nam hæc incomparabiliter est altior; cum astronomi demonstrent, duos coelos inter illam & octauam intercedere. Et confirmatur primo. Quia Angelus vnus, vel etiam plures (si tamen pauci sint) non possunt elementa loco mouere, & primarias orbis partes confundere: Ergo nec coelos, qui incomparabiliter sunt maiores, tanta celeritate impellere. Secundo, quamuis motus coelorum tot millionibus milliariorum absit ab hoc orbe elementari, tanta tamen est illius vis, vt immensam spheram ætheris secum rapiat, & vt multi sentiunt, etiam mare vniuersum: Cum igitur Angelus aliquis per se non possit elementaloco mouere, non poterit etiam coelum à quo elementa trahuntur, mouere.

14 Respondeo primum, quod ad vastitatem corporum celestium attinet, eam minimè obstat, quo minus ea corpora ab Angelis facile moueri possint. Cum enim iuxta Aristotelem, & communem Peripateticorum sententiam, non sint corpora graui, nec leuia, nullam penitus habent ad circulaem motum repugnantiam; etsi millecuplo essent maiora; facillimè ergo possunt à quolibet Angelo moueri. Quod vero secundo ad velocitatem spectat; cum Angeli seipsos à coelis ad terras spatio breuissimo, & quodammodo imperceptibili mouere possint, iuxta dicta de motu Angelorum disp. 5. quæst. 2. facile etiam possunt illi simili celeritate corpus, nulla ex parte sibi resistens, & cui, quod incorruptibile sit, nulla designata motus celeritas, quantum maxima, vlla ex parte aduersatur, mouere. Tertio quod ad æquabilitatem motus attinet; cum plus ad eam perpetuo retinendam non requiratur, quam & vis ad mouendum sufficiens ac indefessa; & voluntas prompta, & scientia seu cognitio certa via ac designata velocitatis mensura, per quam & quacum coeli mouendi sunt; non potest ea facultas, & voluntas æquabiliter mouendi coelorum denegari; in quibus, cum substantiæ spirituales sint, fatigatio locum nullum habet; & cum beati sint, non possunt non velle, quod sibi à Deo imperatum nõrunt; & cum scientissimi sint rerum omnium & effectuum naturalium; optime nõrunt viam, & celeritatis mensuram, quam in coelorum motu; iuxta constitutam sibi à Deo legem, repræsentare ac retinere debent, vt suo loco de Angelis dictum est pluribus.

15 Ad primam confirmationem negatur consequentia. Tum quia difficultas aut impotentia ad mouendum aliquod corpus, non oritur præcisè ex eius magnitudine; sed ex resistentia eius; qualis in elementis est; in coelo nulla est. Tum quia simul lex & ordinatio diuina obstat; quo minus elementa integra suis locis dimoueantur; coelorum autem motum Deus non prohibet, sed imperat.

16 Ad secundam confirmationem Respondeo,

mare à coelis non moueri immediatè, sed solum effectiue, mediante lumine, seu influentia: quod coeli motum nihilo facit difficiliorem; quam ardentis candela iactum diffusus per medium splendor. Ad ignem vero quod attinet; duæ sunt causæ, ob quas ille non difficulter ab Angelis, vna cum coelis, moueri potest: prima, quod tenuis admodum substantiæ, & summæ leuitatis est; ob quam fere non minus facile à motu coeli, quam pluma à vento rapitur. Secunda, quod non deorsum, contra inditam sibi leuitatem, mouetur; sed solum circulariter, intra latitudinem loci sui naturalis; quod proinde non ferè difficillius est, quàm vt homo vnicus maximam aquarum molem, grandis piscinæ alicuius, leui motu brachij conturbet: præsertim quando elementa in suo loco naturali nec grauitate, nec leuitate putantur. Neque sane credibile existimo, ignem vna cum celo æquali celeritate circumferri; præsertim quando vtraque substantia coeli & ignis, leuis admodum, & quasi lubrica est; sed pro ratione suæ conditionis simul vt cunque in orbem rapiari.

Tertio obijciitur; in de consequens esse, quod Angelus coelos mouens, deberet assidue quasi orbis affixus esse, & summè intentus, vt eadem semper celeritate impellat. Vnde nec posset pro arbitrio adire caelum Empyreum, aut visitare homines in terris, aut vilius alterius rei administrationem suscipere; sed semper deberet manere affixus suæ rotæ: quæ non videntur consentanea illorum felicissima libertati, & liberissima felicitati.

17 Respondeo; hoc argumentum fortassis haberet aliquam vim, si Angelus vni certæ parti suæ spheræ, aut certò spatio eiusdem spheræ perpetuo assistere deberet: quod tamen non est credibile. Quia Angelus intra latitudinem mediæ zone totum coelum cingentis, vbicunque vult, potest applicare suam virtutem motiuam suo coelo; cui propinquus est: cum & hoc vt potest sphericum ex se pariter vbique aptum sit ad recipiendum siue motum, siue impulsum; & Angelus ex se, cuilibet eiusmodi parti spheræ applicatus, æque habilis sit & expeditus ad motum imprimendum. Quo fit, vt possit interiri Angelus libere totam suam spheram, eiusque locum veluti circumire; & nunc ex nostro hemisphærio, ad Antipodas seu oppositum hemisphærium; nunc Orientem, nunc Occidentem versus moueri: quia Angelus neque vna cum spherâ suâ circummagi debet; nec vni imaginario loco seu spatio immobilis semper adesse; modo à mediâ quasi zona eiusdem spheræ; quæ ex parte spheræ celerrimè mouetur, ipseque motus commo distimè incipit, non nimum ad polos, adeoque Septentrionem, & Meridiem declinet.

19 Et hoc est, quod ex Aristotele docuisse videtur S. Thomas 1. part. quæst. 51. art. 3. ad 3. vbi ait: *Angeli non mouentur ad motum corporum celestium, etiam si sint in eis, sicut motores in mobilibus; quia corpora celestia non recedunt de loco secundum totum; nec determinatur spiritui mouenti orbem locus, secundum aliquam determinatam partem substantiæ orbis; quæ nunc est in Oriente, nunc in Occidente; sed secundum determinatum situm; quia semper est in Oriente virtus*

*mouens, ut dicitur in 8. Physic. text. 84. Vbi determinatus ille situs ad Orientem, non est vtiq; accipiendus secundum indivisibile aut exiguum aliquod spatium; quandoquidem intra latitudinem certam medietatis zonæ cuiusq; spheræ, non solum quilibet pars eiusdem spheræ, modo est occidentalis, modo Orientalis; sed etiam quodlibet spatium imaginarium ac immobile eiusdem zonæ respectu diversorum hominum, diversa terræ hemisphæria inhabitantium, est, & dici potest Orientale, seu Oriens; adeo ut Orientalis illa pars cæli in qua Angelus versatur, totum cæli periodum cingat & circumdet. Potest ergo Angelus per hoc quasi immensum cæli sui spatium libere, ut ita dicam, vagari & moveri; quod ad eius felicem libertatem satis est. Accedit, quod Angeli felicitas, cum sit spiritus, per se à certo loco corporeo nequaquam dependet; nec graue esse ei potest, vbiuis locorum Deum intuenti, & hac ipsa intuitione beato, simul & ad obsequium Deo, & hominibus beneficium præstandum, suam beneficam operam, quacumq; in re à Deo imperata, impendere. Quod si tamen alicui videbitur incommodum, eius rei curam, inter tot myriades Angelorum, in certos tantum & paucos incumbere, ei potius licebit dicere, quod nonnulli antiquorum sapientum dixerunt, post aliquot annorum spatia, Angelos motores mutari; quam beneficam hanc operam benevolentissimis naturis penitus adimere.*

20 *Quarto obijcitur, Angelus non potest se diffundere per totam spheram, & toti vim suam applicare; sed solum alicui particulæ, V. G. quantum est spatium alicuius oppidi, aut multo min⁹: at non est consentaneum, tantam molem concitari tam exiguo & angusto impetu, sed oportet impetum esse diffusum per totum, certa proportione; ut sicut singulæ partes mouentur pro ratione sui situs, ita & congruum impetum suscipiant. Si enim tota terra, vel solum mare in orbem raptandum esset, non conueniret impetum fieri duntaxat in exiguam particulam, quanta est vola manus humanæ; sed in totam fieri oporteret, ut suavius & absque conuulsione partium motus fiat.*

21 *Respondeo abunde satis esse, ad mouendum cælum, si Angelus motor eise suamque virtutem motiuam applicet, secundum tantum spatium; quantum ipse naturaliter occupare potest: mox enim absque vlla difficultate, aut periculo, vna pars alteram sibi connexam secum trahit. Neque vlla idcirco violentia interuenit; quando cælum, ut dictum, nullam habet ad eum motum resistentiam; neque vlla partium conuulsio pertimescenda, in corpore solidissimo & incorruptibili, cuius omnes partes inter se firmissime coheret; sec⁹ quâ in terra, aut mari accidit: siue interim motus ille cælorum fiat mediante impulsu, siue immediate ab Angelo causetur; de qua re actum disputatione quinta, quæstione quinta, dubio secundo. Quod si, ut nonnulli philosophantur, ab ipso etiam homine terra suo loco dimoueri posset, si perterica eidem infixæ, & ad lunam V. G. vsque, pertingens suoque hypopodio interim nixa, homini ibidem ad manus esset, quid ni facillime*

Angelus parti cuiuslibet cæli minimam se applicando, totum cælum mouere possit?

21 *Quinto obijcitur, Si Angeli cælestes orbem circumagunt, in potestate eorum esset, illos sistere; quod non videtur consonum verbis Domini Job 38. *Conuentum cæli quis dormire faciet? id est, quis sistet? Quasi dicat, nemo, præter me, id potest. Item in eorum potestate esset, celerius vel tardius mouere, & ita totum mundum facile possent turbare: vnde etiam grauissimo præcepto deberent esse obstricti, ut summam curam adhiberent, ne vniquam vllus sit defectus, nulla inæqualitas, nulla maior minorue concitatio. Est enim res maximi momenti, vnde salus rerum inferiorum pendet.**

21 *Respondeo; si Physicam & naturalem potentiam Angeli præcise ac secundum se spectemus, posse quidem eum suo arbitratu cælorum motum sistere; aut etiam præter ordinem flexere: at vero absolute non posse; quia cum beatus sit, non potest aliud velle aut facere, quam quod Deum velle ac præcipere norit: præcepit autem ei Deus, ut certo modo, ac mensura cælum moueat; à qua non magis ipse potest desciscere, quam si per modum naturæ ac formæ naturalis intrinsecæ moueret. Neque tamen idcirco opus est, vlla grauiori præcepti inculcatione, quando in promptissimo & incommutabili obsequendi studio, omnibus beatis communi, intellexisse diuina voluntatis iussum ac nutum satis est, ad accuratissimam & exactissimam eius executionem, Atque hæc de motu cælorum satis.*

#### D V B I V M IV.

*Quot sint cæli, præcipue syderei; Et an inter se, Et cum astris suis eiusdem sint essentia.*

S. Thom. 1. p. q. 68. a. 4. & q. 70. a. 1.

21 *Differunt quoad numerum cælorum inter se, SS. Patres. Nam primo Tertullianus, aduersus Hermogenem, & Chrysostomus in Gen. hom. 4. veluti certum tradere videntur, vnum tantum esse cælum. Sane Chrysostomus vehementi oratione secus sentientes perstringit: *Quis igitur, inquit, post tantam doctrinam feret eos, qui ex suo capite loqui, & contra diuinam scripturam multos cælos dicere audent? Nisi forte sanctum hunc Patrem existimemus, non tam de cælis, quam de pluribus simpliciter mundis locutum, quales nonnulli veteres Philosophi constituerunt. Quo sensu etiam Aristoteles lib. 1. de cælo tex. 76. docet, vnam tantum esse cælum. Sed nec Mathematici defuerunt olim, qui plures cælos pernegarent; quos refert & perstringit Basilius homil. 3. in Hexæm. his verbis: *Cum ij, qui demonstrationibus vti solent grauioris multo momenti, vtiq; probationum Geometricarum necessario concludentium confirmarint; id ferre non posse naturam, ut præter vnum hoc cælum, alterum consistat; tum sane istorum Mathematicorum lineares nugas, quamlibet artificii ingenio concinnatas, tanto solutius ridebimus, &c.***

Secundo

2 Secundo, alij duos cœlos solummodo numerant. Ita videntur sentire Clemens Romanus Recognitionis. lib. 1. & 2. Acacius in Glossâ Lipomani, Anastasius Synaita lib. 2. Hexaemeron, & Theodoretus in cap. 9. Epist. ad Hebræos & qq. in Genes. q. 11. vbi ait: *Cum scriptura diuina doceat, in principio Deum creasse cœlum & terram; deinde post lucis creationem, secunda die, dixit firmamentum factum esse; imperitia plena videtur esse huiusmodi (de numero cœlorum) quaestio. Oportebat enim ex temporis ratione, & ipsi creationis modo, cœlorum diuersitatem nosse, & vnum luce prius; alterum vero post lucem; & illud quidem non ex aliqua alia materia, hoc autem ex aquis creatum esse &c. Qui igitur non credit, secundum esse cœlum, semitam rectam transgreditur; qui vero plures enumerare conatur, adhaeret fabulis, postposita diuini spiritus doctrina.*

3 Tertio alij, Apostolum Paulum imitari volentes 2. ad Corinthios 12. tres cœlos constituunt. Ita Basilius homil. 3. Hexaemer. Ambrosius secundo Hexaemer. capite secundo. Damascenus lib. 2. Orthodox. fid. capit. 6. Philastrius hæresi 66. & alij, quanquam non omnino eadem ratione. Quidam enim ita tres distinguunt cœlos, vt primum faciant illud, quod in principio creatum fuit Genes. 1. v. 1. Secundum firmamentum, quod tamen ex substantia primi innuunt esse compactum; tertium id; in quod raptus fuit S. Paulus. Ita Basilius & Ambrosius. Alij primum numerant Empyreum, secundum sydereum, tertium aëreum.

4 Quarto nihilominus ex his ipsis quidam etiam septem orbés siue circulos cœlestes numerari admittunt. Ita Damascenus & Philastrius: qui rursum etiam concedit, æque duos quoque posse numerari. *Sine ergo septem, inquit, quis acceperit, vt David, siue tres, siue duos, non errat. &c.* Nec magno dissentit Basilius citata Homil. 3. Hexaem.

Et in eundem fere sensum Iustinus quaestio. 57. cura quaesisset: *si duplici nobis cœli creationem exposuit Moyses, quomodo plures esse scriptura docet; aliquando tradens, Cœli cœlorum, aliquando, Aperti sunt ei cœli. Respondet: Moyses quidem cœlos dixit; numero autem neque vnum, neque duos, neque plures tradidit. Consuevit porro diuina scriptura, Interstitia partium superiora cœlos nominare; veluti vltima cœli, & aquila de cœlo, & stella cœli. Ex dictis ergo hisce, quæ posita sunt, consequens est, vt intelligamus, cœlos substantia quidem duos, interstitijs autem plures. Atque si cœlos ita accipiamus, nulla in verbis reperietur repugnantia.*

5 Sane quidem hæc quaestio inter Theologos esse non potest; nisi nominis, vt recte etiam notauit S. Thomas 1. p. q. 68. a. 4. Nam si cœlum late accipiat pro corpore sublimi & diaphano, terra & aquis superiori, sic recte numerantur tres cœli, seu potius tria quasi cœlorum genera; aëreum videlicet, sydereum, & Empyreum: quod plane respexisse videtur etiam S. Paulus, cum se raptum fuisse ait in tertium cœli 2. Corinth. 12. v. 2. vt recte etiam ex Damasceno S. Thomas loc. cit.

Si autem cœlum accipiat strictius, pro corpore elementis omnibus superiori, sic recte assignari possunt duo quasi cœlorum genera, Empyreum immobile, & sydereum mobile.

Si vero non tam rerum varias differentias, quam vniuersum id corpus elementis superius, vt cumque sua quadam varietate distinctum, recensere velis, dici potest vnum cœlum, hoc est, aut vna cœli natura, aut vna cœlestium corporum congeries, seu vnum ex pluribus aggregatum, quemadmodum vna V. G. dicitur natura humana; aut ciuitas vna Pragensis; licet in tres ciuitates diuisa &c. Nec aliud voluit S. Chrysostomus, vt superius insinuat.

Atque hæc recte etiam mihi tradidisse visus est S. Athanasius qq. ad Antiochum q. 5. vbi ait: [Quot sunt cœli? Respondeo. In dubio est apud multos hæc quaestio. Nam liber Genesios duos cœlos commemorat. Diu autem Paulus etiã tertium cœli se se vidisse dicit. Et David Prophetã de quarto cœlo loquitur; Laudate eum cœli cœlorum. Sciendum vero, quod quemadmodum natura hominum vna, & vnus homo dicitur, multi itẽ sunt homines: sic etiam cœlorum natura vna, & vnum cœlum dicitur in diuina scriptura, & cœli multi.]

7 Quod si cœlum ipsum mobile in sua indiuidua velis cum Philosophis & Mathematicis diuidere, quaerendo, quot sint eiusmodi cœli mobiles, non ita pronum nunc est respondere. Licet enim, hæcenus communiter à Philosophis & Mathematicis, per annos fere trecentos, decem, (aliter quidem sentiente Antonio Ruuio libro secundo de cœlo capit. 5. quaestione secunda, qui octo cœlis mobilibus maualt esse contentus) aut si eum Magino in noua cœli Theor. Copernici obseruationes accensas, vndecim cœli mobiles, præter Empyreum immobile, assignati fuerint; quos sequuntur etiam Clavius in capit. 1. sphaera; tom. 3. pag. 36. vbi vndecimum primum addit; Pererius libro 2. in Genesin quaestio. 4. & 9. Molina disputatio. 10. qui denario adhuc numero contenti erant; tamen res hæc multis de causis non parum dubia videri potest. Nititur enim ea doctrina in primis quidem fundamento Aristotelis, aliorumque Philosophorum, & Astrologorum quorundam antiquorum, tot videlicet esse cœlos, quot in cœlis inueniuntur motus diuersi; cum vni corpori non nisi vnus motus possit esse naturalis. Id tamen fundamentum non esse firmum ac solidum; imo nec ex omni parte verum, his videtur argumentis probari posse.

8 Primum enim illud ipsum fundamentum supponit cœlos esse solidos, stellasque adeo moueri in cœlis, non velut pisces in mari, aut aues in aere; sed vt gemmas in annulo, aut in ligno nodos: quæ doctrina tamen non est adeo certa, vt oppositum absque errore defendi non possit.

Secundo, si cœli non à seipsis, seu propria sua forma, sed ab Angelis mouentur, vt ipse etiam Aristoteles sentit, neque necessarium, neque admodum etiam conueniens videtur, pro varietate motuum, qui in eodem firmamento, iisdemque stellis firmamenti reperiuntur, plures alios superiores cœlos mobiles constituere: cū nec motus talis calis proprie naturalis, sed potius præternaturalis videatur; & facillimum sit Angelo, firmamentum ipsum ita mouere, vt ad ortum quidem

simpliciter, secundum quid vero etiã ad occasum, aut septentrionem, vel meridiem moueri videatur; motusque illius adeo ab ipso Angelo motore omnem eam varietatem & modificationem recipiat, atque inferioribus etiã cœlis, quoad opus est, communicet; quam ipsa experientia cœlis conuenire demonstrat. Neque enim Deus & natura facere solet per plura, quod æque bene & commode fieri potest per pauciora. Hac vero doctrina admissa, ruunt iam duo illi, vel tres cœli mobiles, qui supra cœlum sydereum siue firmamentum collocantur, vt est cœlum crystallinum & primum mobile.

9 Tertio. Sed nec si de varietate motuum, qui in diuersis stellis deprehenduntur, sermo sit, principium illud ex nouis phænomenis defendi posse videretur. Constat enim nouis experientijs & obseruationibus, vt iam superius dictum quæstione tertia dub. 3. circa Iouem quatuor novos esse planetas, eosque singulos proprium, & à ceteris omnibus stellis diuersum habere motum; nec tamen propterea opus est quatuor nonis cœlis, cum proprio motu planetæ illi non describantur circulos, qui terram ambient, sed interuallo non nisi exiguo à Ioue abeant. Feruntur ergo in epicyclis seu orbibus Iouem quidem ambientibus, sed non in cœlis distinctis. Simile quid accidere videtur cum maculis solaribus recens inuentis, quas etiã ipsas stellas quasdam esse solem circumeuntes nonnulli existimant; & tamen cœlum nouum non requirunt, nisi magno admodum numero cœlos multiplicare velimus.

10 Quarto. Ad hæc de stellis, ac planetis antiquis etiã duntaxat loquendo, needum apparet, principium illud esse vndiquaque firmum & constans. Cum enim per nouas experientias & obseruationes satis certo videatur constare, Venerem & Mercurium circa solem perpetuo moueri, nec proprio motu vnquam describere circulum, qui terram ipsam complectatur, consequens est, nec illos quidem requirere proprios cœlos, in quibus moueantur. Cum enim cœlum dictum sit à celando, quod omnia sublunaria contegat, vt quæstione prima dictum, nec adeo quilibet orbis seu sphaera cœlestis sit proprium & distinctum cœlum: aliqui enim pro multitudine ipsorum etiã epicyclorum duntaxat, cœli multiplicandi forent; plane sequitur, si Venus & Mercurius secundum motus proprios, non requirant, nec habeant orbis proprios & distinctos, qui centrum vniuersi ambient, frustra hætenus cœlum Mercurij & Veneris proprio inter cœlos numero ac censu fuisse habitum: cum orbis quidem singuli ex his planetis proprios habeant, sed non nisi solem ambientes.

11 Taceo cometas, qui & ipsi fortasse sunt stellæ, proprium habentes motum; nec tamen ideo proprio ac speciali cœlo indigent. Alias totæ fere cœli constituti forent, quot cometa; cum singuli propemodum hætenus proprios habuisse motus visi sint. Ex quibus omnibus denique concludi videtur, comunem & receptã doctrinã Philosophorum & Mathematicorum de cœlis decem

mobilibus admodum incertam, si non falsam esse.

12 Sed nihilominus ne temere, vel principium illud, tam à Philosophis, quam ab Astrologis, tanta annorum serie receptum, reprehendatur, vel conclusio inde deducta, de decem, vel vndecim mobilium cœlorum numero rejiciatur; animaduertendum est, principium illud de multiplicandis cœlis, pro diuersitate motuum, qui in ipsidem deprehenduntur, supponere quidem cœlos esse solidos, vt satis iam antea q. 3. dub. 2. probatum & defensum est; at non intelligi de quibuslibet stellarum motibus diuersis, sed ijs solum, qui circa ipsam terram seu centrum vniuersi peraguntur. Nam de alijs satis constat, ex ipsius etiã Aristotelis, & antiquiorum Astrologorum sententiã, non ideo multiplicandos esse cœlos; quantumuis diuersos & ab alijs distinctos esse constet. Quod vel ex eo manifestum est; quia non fugit illos, planetas quosdam, præter motum illum, quem circa terram habent in orientem, aliquando etiã esse retrogrados, aliquando stationarios, adeoque habere etiã proprios quosdam motus, quibus non quidem circa terram, sed supra terram moueantur; nec tamen ob hanc motus diuersitatem, proprios & distinctos cœlos illi constituendos putarunt; sed solum vel orbis partiales, vel epicyclos distinctos, in ipsis eorundem planetarum cœlis.

13 Qua de causa quod de stellis Iouialibus, non terram, sed Iouem proprio motu circumeuntibus; quod item de maculis solaribus, circa solem, vt fertur, moueri solitis obiectum est, nihil ad propositum facit: constat enim, non quidem propterea novos cœlos esse constituendos; sed nec tamen ideo à principio illo Aristotelico quidquam recedi. Quod, vt dictum, non intelligitur de diuersitate motuum supra terram, sed circa terram.

14 Similiter si certum vndeque; & exploratum esset, duos illos planetas, Mercurium & Venerem, habere solummodo motum proprium circa solem, non autem, quod veteres Astrologi & Philosophi existimarunt, circa terram, seu centrum vniuersi; plane pari ratione fatendum esset, Mercurium & Venerem non vindicare sibi proprios cœlos, in quibus ferantur, sed solum epicyclos proprios, in ipso cœlo solis, solemque ipsum ambientes. Sed quia res hæc, nondum vndeque satis comperta videtur, nihilo ergo hic innouandum statuo; sed hoc solum moneo, & opto, vt Astrologi rem hanc accuratioribus & diuturnioribus obseruationibus diligentius inuestigare pergant, atque in vnã eandemque sententiam prius ipsi conspirent, quam de nouo & absoluto cœlorum systemate constituendo quidquam particulatim definiatur.

14 Quod si experientia, & phænomena non obstant, minime improbanda fuerit sententia Ægidij, qui totam cœlestem machinam vnum corpus esse docuit, cum octauã sphaerã, varios tantum eccentricos & epicyclos complectens. Sic enim ait Hexæmer. p. 2. capite 33. *Difficultas quæstio est, vtrum sphaera planetarum faciant*

unam spheram, cum celo sidereo: quod multum videtur concordare cum textu, ubi dicitur, quod fecit Deus duo luminaria magna, & stellae, & posuit eas in firmamento caeli. Si ergo luminaria & stellae sunt in firmamento caeli, & planetae computantur inter luminaria caeli, videtur quod omnes planetae sint in firmamento caeli, quod esse non posset, nisi sphaerae planetarum facerent unam spheram cum firmamento, siue cum celo sidereo &c. ponendo tamen eccentricos & epicyclos, nihil obstat, quin omnes praedicta sphaerae sint una & eadem sphaera. &c.

Et cum dixisset, ei sententia non obitare primo, quod in caelo cernatur quadam varietas secundum densitatem & perspicuitatem, cum alia pars possit esse densa, alia perspicua: nec secundo, quod alia astra ferantur sursum, alia deorsum; cum in tanto spacio interuallo, quantum est à luna ad orbem vsque stelliferum, possint plures ac varij intercedere eccentrici, alij sub, inquit, alij supra: nec tertio, quod aliud astrum sit velox, aliud tardum; cum vnum quodque moueatur in suo proprio eccentrico, tandem concludit. Ergo planetae possunt dici unum caelum cum octaua sphaera, & possunt dici alij caeli ab octaua sphaera; nam quantum ad ipsas sphaeras, possunt dici unum caelum; & frustra fit per plura, quod potest fieri per unum. Sphaera ergo potest dici una, sed deferentes debent dici plures, & debent dici alij, & alij. Erunt ergo septem planetarum septem deferentes, respectu quorum caelum sidereum, potest dici octaua sphaera. Rursus praeter deferentes siue eccentricos planetarum, ponimus epicyclos, quia aliquando videmus planetas retrogrados, aliquando directos, quod ex deferentibus tantum saluare non possumus. &c. Ex hoc etiam magis concordamus cum scriptura sacra, dicente, solem & lunam, & omnes stellas, esse in firmamento caeli; quia ex quo omnes sphaerae planetarum faciunt unum corpus cum octaua sphaera, quod dicitur firmamentum, omnia huiusmodi luminaria sunt in firmamento caeli, & omnia huiusmodi luminaria, habentia suos deferentes, & suos epicyclos, habent eos in firmamento caeli. Haecenus Aegidius.

E contrario vero si non solum ipsius firmamenti, sed etiam septem planetarum motus proprios circa terram diuersos esse compertum fuerit, vt veteres Astronomi & Philosophi crediderunt, nullum erit dubium, quin octo caeli mobiles sint constituendi; quemadmodum praeter Aegyptios & Chaldaeos plerisque, fecerunt iam olim etiam Plato lib. 10. de Republica, & Aristoteles lib. 12. Metaph. t. 47. & nostro etiam adhuc tempore sequitur Ruuius: quibus postea primum, propter nouum rursus firmamenti motum obseruatum, Hipparchus quidem ante Christum natum, Ptolomaeus vero post natum Christum anno circiter CXXXI. nonum caelum; ac rursus circa Annum Christi M C C L. ob nouum trepidationis motum, Alphonus Rex, item Purbachius, Regiomontanus, alijque posteriores Philosophi & Mathematici decimum: denique Maiorum aetate Copernicus, alijque eum secuti, vndecimum caelum mobile addiderunt; probabili quidem, sed non necessaria ratione: si quidem DEVS voluisset, omnimodam illam motus varietatem seu modificationem, quam nunc

firmamentum habere compertum est, immediate per Angelos firmamento tribuere: vt quidem reuera non solum per absolutam potentiam, sed etiam commode & sine absurdo, nec minus ferè rerum naturis conuenienter, potuisset facere. Quod nunc video esse notatum etiam ab Antonio Ruuiio libro secundo, de caelo capit. 5. quest. 2. Sed vt dixi, ad nouum & absolutum caelorum systema constituendum, diuturniori & accuratori opus est Astrologorum obseruatione, & maturiori sapientum virorum iudicio, quod equidem vlllo meo praerudicio nolo anteuertere.

Satis sit, hoc loco Christophori Clauij postremam hac de re sententiam adiungere. Ita enim ait in edit. recognita comment. in Ioannem de sac. Boec. tom. 3. opetum math. [Nolo tamen hoc loco latere lectorem, non ita pridem è Belgio adportatum esse instrumentum quoddam, instar tubi cuiusdam oblongi; in cuius basibus compacta sunt duo vitra seu perspicilla, quo obiecta à nobis remota valde propinqua apparent, & quidem longe maiora, quam re ipsa sint. Hoc instrumento cernuntur plurimae stellae in firmamento, quae sine eo nullo modo videri possunt.] Et mox: [Inter alia quae hoc instrumento videntur, hoc non postremum locum obtinet; nimirum Venerem, recipere lumen à sole instar lunae; ita vt corniculata nunc magis, nunc minus, pro distantia eius à sole appareat; id quod non semel cum alijs hic Romae obseruauimus. Saturnus quoque habet coniunctas duas stellas ipso minores; vnam versus orientem, versus Occidentem alteram. Iupiter denique habet quatuor stellas erraticas; quae mirum in modum situ inter se, & cum Ioue variant, vt accurate & diligenter Galilaus Galilaei describit. Quae cum ita sint, videant Astronomi, quo pacto orbis caelestes constituendi sint, vt haec phaenomena possint saluari.] Ita Clauius; qui, vt vides, nil interim de soliditate caelorum addubitat, orbis enim caelestes vtique agnoscit: sed aliud solum eorundem orbium systema constituendum iudicat.

Queri hic potest, an caeli omnes sint eiusdem essentiae. Respondeo breuiter, suppositis his, quae docuimus quest. 2. dub. 2. & q. 3. dub. 1. & q. 4. du 2. probatissimum videri, caelos omnes sidereos & inter se, & cum astris seu stellis, quas deferunt, eiusdem essentiae esse. Quia omnes caeli, omneque corpus caeleste, quoad substantiam & essentiam suam, primo statim die producti fuerunt, nec postea, siue per accessionem lucis, eodem primo die; siue soliditatis, secundo die; siue astrarum, quarto die factam, vt suis locis probauimus, vlla mutatio vel productio substantialis interuenit; nec verosimile est, aquas illas supercaelestes, ex quibus caeli constant, ab initio fuisse diuersae essentiae; vt pro diuersis caelis aquae essentialiter diuersae (quae ab ipsis, quos constituunt, caelis essentialiter non differunt) in principio à DEO crearentur. Sunt ergo caeli eiusdem inter se, & cum astris suis essentiae.



## DUBIUM V.

*An, & qua ratione cæli, aliæque res inferiores in fine mundi sint interitura.*

S. Thomas Supplem. 3. part. quæst. 73. art. 3. & q. 74. art. 4. 5. 6. & 1. p. q. 68. a. 1.

**F**acit hæc res non parum ad rationem & cõnexionem operum sex dierum hæctenus expositã confirmandã; cum hinc manifestum sit futurũ, defitionem corruptibilis mundi, cum ei⁹ inchoatione & productione hæctenus explicata exactam seruare analogiam. Et quidem satis cõstat ex scripturis, cœlos in fine mundi esse aliquo modo immutandos. Ita enim aperte multis in locis pronũciat scriptura; quos hic præmittere visum est, veluti fundamenta, ex quibus res hæc est diiudicanda. Primò enim asserit scriptura, post huius vitæ statum, cœlos fore nouos. *Isaia 65. v. 17. Ecce ego creo cœlos novos, & terram nouam; & non erunt in memoria priora. Apocalypsis 21. v. 1. Vidi cœlum nouum, & terram nouam. Primum enim cœlũ, & prima terra abiit. Et infra v. 5. Dixit qui sedebat in throno, ecce noua facio omnia. Et quidem de cœlis etiam sydereis esse hic sermonem, colligitur præter alia ex *Isaia 30. v. 26. vbi speciatim declaratur, quomodo cœlum sydereum sit innouandũ: Erit, inquit, lux luna, sicut lux solis, & lux solis erit septemplex, sicut lux septem dierum, in die, qua alligauerit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ eius sanauerit: nimirum in fine seculi, quando corporibus sanctorum etiã glorificatis, vulnera & reliquæ peccati perfectissimè sanabuntur.**

**S**ecundo testatur scriptura, cœlos perituros, transituros, & tanquam vestimentum atterendos, & antiquandos. *Psal. 101. v. 27. & ad Hebræos 1. v. 10. Intro tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli: ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur. Iob 14. v. 12. Homo cum dormierit, non resurget donec atteratur cœlum; non erigabit, nec consurget de somno suo. Eccli. 17. v. 30. Quid lucidius sole? hic deficiet. Vbi tamen potius de solis defectione, aut consueta, aut extraordinaria, finem mundi antecessura sermo est. *Matthæi 24. v. 35. Cœlum & terra transibunt: verba autem mea non præteribunt. Quò spectat etiam illud, quod ibidem dicitur v. 29. Stella cadent de cælo, & virtutes calorũ commouebuntur. Quanquam & hoc potius ad ignita meteora stellarum, vti vocant, cadentium, caprarumque saltantium, atque inordinatos astrorum motus, extremum iudicium antecessuros, referendum sit; cum ibidem mox subiungatur, & tunc parebit signum filij hominis in cælo.**

**T**ertio asserit scriptura futurum, vt cœli liquefcent & soluantur. *Isaia 34. v. 4. Tabescet omnis militia calorũ, & complicabuntur sicut liber cæli, & omnis militia eorum defluet. Isaia 51. v. 6. Cæli sicut fumus liquefcent, & terra sicut vestimentum atteretur. 2. Petri vltimo v. 7. Cæli qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt, igni reseruat, in diem iudicij, &*

*perditionis impiorum hominum. Et infra vers. 20. Adueniet dies Domini ut fur, in quo cæli magno impetu transigent; elementa vero calore soluentur; terra autem; & quæ in ea sunt opera excurentur. Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse, in sanctis conversationibus, & pietatibus expectantes & properantes in aduentum dñi Domini, per quem cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescunt. Nouos vero calos & nouam terram secundum promissa ipsius expectamus. Quibus suppositis, sequentes assertiones statuo.*

**A**ssertio I. Mundus in fine seculi, seu post extremum iudicij diem, non ita peribit, vt null⁹ sit futur⁹. Est de fide certa, & extra controuersiam, Probatur aperte ex scriptura *Ecclesi. 3. v. 14. Dies quod omnia opera, quæ fecit DEVS, perseverant in perpetuum. Et Rom. 8. v. 22. ait Apostolus, omnem creaturam quodammodo parturire, adeoq; anxie expectare glorificationem electorum, vt ipsa quoque simul eum illis a seruitutis corruptione liberata, statũ perfectiorem acquirat. Plurã inferius.*

**A**ssertio II. Probabilis videtur; cœlos in fine mundi secundum substantiam non mutatum iri. Ita Pererius lib. 1. in *Genes. q. 1. & 2. Suarez 3. p. tom. 2. disp. 58. sect. 2. & quamplures Scholastici veteres, cum S. Thoma in 4. dist. 42. & in supplemento q. 74. a. 4. et si contrarium sentiant Molina de opere sex dierum disp. 3. Alphonsus Salmeron tom. 1. prol. 8. & alij. Probatur ex scriptura. *Psal. 148. v. 6. de corporibus cœlestibus dicitur, statuit ea in æternum, & in seculum seculi; præceptum posuit, & non præteribit. Et psal. 101. v. 28. vbi dicitur: Et sicut opertorium mutabis eos, nempe cœlos; græce legitur ἀλλὰ ἄλλοις hoc est alterabis. Illud autem 2. Petri 3. Cæli ardentes soluentur, igni repositi &c. de ijs cœlis intelligitur, qui fuerant olim per aquam purgati; hoc autem est cœlum æreũ, non sydereum. Idem ex SS. Patribus docet Hieronymus in *Isaia 51. & 65. vbi hoc exemplo bene declarat: infans, inquit, cum in puorum creuerit, & puer in iuuenem & iuuenis in virum, nequaquam per singulas aetates perit; idẽ enim est, qui pri⁹ fuit; sed paulatim immutatur, & ætati pristinae perisse dicitur. Idẽ sequitur Augustinus l. 20. de ciuit. Dei, Gennadius de Ecclesiasticis dogmatib⁹ c. 70. Oecumeni⁹ in *Collectaneis 2. Petri vlt. Plura asserione sequenti.****

**A**ssertio III. Nec elementa quidem secundum substantiam corrumpentur; sed solum accidentali mutatione in meliorem statum transferentur. Ita S. Thomas loc. cit. Pererius citata q. 1. tametsi contrariũ sentiant nonnulli Scholastici, quos sequitur Molina citata disp. 3. Probatur ex scriptura, quæ vniuersim de mundo pronũciat. *Ecclesi. 3. vers. 14. Omnia opera, quæ fecit Deus, perseverant in perpetuum. Et prima Corinthiorum 7. v. 31. Præterit figura (seu species externa non natura siue substantia) huius mundi. Et Rom. capit. 8. v. 19. Expectatio creaturæ reuelationem filiorum DEI expectat. Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe: quia & ipsa creatura liberabitur a seruitute corruptionis in libertatem gloria filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc.*

Certe

7 Certe si elementa secundum substantiam essent peritura, tum sane dicere non potuisset A-  
postolus, omnem creaturam ingemiscere & par-  
turire, desiderando quodammodo statum alteri-  
us seculi, vna cum beatis. Melius enim esset illis,  
sic esse, quam omnino non esse. Id quod saltem  
de creaturis ad substantiam huius mundi posse  
spectantibus, & in quibus reliquæ omnes creatu-  
ræ virtute continentur, intelligendum est. Ac-  
cedit illud Eccl. 1. v. 4. *Generatio præterit, & gene-  
ratio advenit: terra autem in æternum stat.* Idem sen-  
tiunt Proclus & Methodius apud Epiphanium  
Hæres. 94. item Hieronymus, Gennadius, & Oe-  
cumenius loc. cit. *sup. mutationem uniusmodi, remanet*

8 Ratio est: quia vix apparet, quoniam modo  
mundus hic aliter, quoad substantiã, & substan-  
tiales partes, constitui possit. Neque his obstat  
scriptura, quia transitus & interitus celi & terræ,  
item solutio & liquefactio, attritio, innouatio,  
conflagratio, & similia, iuxta analogiam aliorum  
locorum scripturæ, de accidentali solum eorum-  
dem mutatione rectè intelliguntur. Dicimus en-  
nim etiam nivem, grandinem, gelu &c. interire,  
perire, transire, quando liquecunt, etiamsi quo-  
ad substantiam, (quæ est aqua) non pereant. Ea-  
dem ergo etiam ratione cœlum, vti nunc est, so-  
lidum, peribit, &c. vt mox dicemus.

9 Assertio IV. Cœli & elementa ita post diem  
iudicij immutabuntur, vt & maiori quadam lucis  
seu luminis perfectione sint exornanda, & ab om-  
ni impuritate purgata, omnisque mutationis ex-  
pertia, de cetero, suum naturalem statum, quem  
ab initio creationis habuerunt, sint recuperatura.  
Prima pars, cœlos & elementa post iudicij diem  
immutanda esse, patet abunde ex scripturis superi-  
us adductis. Secunda pars, de accessione maio-  
ris lucis, seu luminis, patet ex illo Isaiæ 30. *Erit lux  
luna, sicut lux solis, & lux solis erit septemplex, sicut  
lux septem dierum.* Tertia pars de immunitate &  
liberatione ab omni impuritate & mutatione,  
probat ex illo Roman. 8. vers. 20. *Ranitati e-  
nim creatura subiecta est, non volens, sed propter  
eum, qui subicit eam in spe; quia & ipsa creatura  
liberabitur à seruitute corruptionis.* Quo nomine  
intelligitur omnis eius vicissitudo ac mutatio e-  
tiam localis, quia his omnibus mutationibus de-  
seruire cogitur præsentì conditioni mortalis ho-  
minis, propter quem facta est, vt mox distinctius  
explicabitur.

16 Quartam partem eiusdem conclusionis, de  
naturalì statu, quem ab initio creationis mundus  
acceperat, atque simul cæteras omnes eiusdem  
conclusionis partes, ita ulterius probo & declaro.  
Constatenim, mundum quidem ipsum, ipsos-  
que adeo cœlos propter hominem fuisse creatos,  
iuxta illud Deuteronomij 4. vers. 19. *Ne forte ele-  
uatis oculis ad cœlum, videas solem & lunam, & om-  
nia astra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas,  
quæ creauit Dominus Deus tuus, in ministerium cun-  
ctis gentibus, quæ sub cœlo sunt.* Et rationi ac scri-  
pturæ admodum consentaneum est, cœlum &  
terram, cum ceteris elementis, in principio à Deo  
fuisse creata, in statu maxime puro ac naturali;  
etsi deinceps subsequenter diebus, quædam ijs

conditiones, partim etiam respectu vniuersi, per-  
fectiones, fuerint adiectæ, quæ ad solum corru-  
ptibile huius vitæ statum spectant, solumque ho-  
mini hanc vitam victuro sunt vtilis, aut neces-  
saria. *ob id mundum omni ibum mundum omni*

Tales sunt I. quod Deus secundo die substan-  
tiam cœli liquidam condensauit, & instar cry-  
stalli, addita duritie, solidauit, vt esset firmamen-  
tum diuidens aquas superiores & inferiores. Ge-  
nes. 1. v. 6. de quo supra. *... nulli bulliam*

II. quod Deus die tertio vniuersas aquas infe-  
riores congregauit in locum vnum, vt terra appa-  
reret arida, Genes. 1. v. 10. vtiq; propter habitati-  
onem hominum: cum alias locis naturalis aquæ  
sit supra terram. *... ibidem*

III. quod Deus die tertio terram gramini, her-  
bis, arboribusque progignendis vim ac materiam  
subministrare voluit, quamuis eo ipso à con-  
ditionis suæ puritate deficientem, *ibidem*  
v. 12. *... ibidem*

IV. quod postquam Deus die primo cœlestis  
corporis particulam quandam, in quam etiam sine  
fortasse condensatam, tenui aliqua luce collu-  
strasset, eam solum, vt apparet, sine, vt eadem suo  
motu diebus futuræ conditionis distinguendis,  
tantisper deseruaret, Genes. 1. v. 4. idem postea  
die quarto, præter stellas innumeras, duo etiam  
quædam maiora sydera, solem videlicet & lunam,  
addito vario fixoque motu, iam non solum ad di-  
em noctemque discernendam, sed etiam ad qua-  
tuor anni tempora, certâ lege & ordine distin-  
guenda, totumque anni circulum fixis legibus  
constituendum condidit, tenebris interim in al-  
terò semper terra hemisphario relicta, Genes.  
1. v. 16. *... ibidem*

V. quod Deus die quinto ex aquis omnis gen-  
eris volatilia, reptilia, & aquatilia produxit, quo  
factum, vt idem aquæ elementum rursus varijs  
alterationibus, mutationibusque, à propria alio-  
quin eius natura alienis, subijceretur; *ibidem*  
v. 21. *... ibidem*

VI. quod Deus die sexto rursus à terra omnis  
generis animantia, iumenta, bestias, & reptilia  
terrestria produxit, non sine magna etiam ipsius  
terræ immutatione, ab eius inclinatione priuata,  
aliena: *ibidem* v. 24. *... ibidem*

VII. quod denique Deus eodem die homini  
mortali, prius ex terrâ formato, ius & potestatem,  
omnium rerum inferiorum, etiam consumenda-  
rum, & destruendarum concessit, ita vt in eius ac-  
iumentorum esseam multiplicationemque omni-  
geni terræ fructus deseruire iuberentur, nec in  
terra quidquam esse, hominis imperio ac pote-  
statem non subiectum. *... ibidem*

Cum igitur plane existimandum sit, cœlum &  
terram, cum reliquis tribus elementis (quibus re-  
bus mundus ipse totus substantialiter contine-  
tur) post hoc seculum, iuxta dictum Sancti  
Petri antea citatum, à seruitute corruptionis  
libera, ad pristinam suam puritatem ac statum, ab  
omni corruptione quam maxime remotum redi-  
tura, ita vt ipsius quidem lucis, velut minime  
corruptiua qualitatis, accessione illustriora, à  
reliquis autem peregrinis & aduentitijs qualita-  
tibus

tibus, quibus ratione corruptibilis huius vite status, ex diuina dispositione ad tempus subiecta fuerit, prorsus libera sint futura; idcirco probabiliter existimo, ea omnia, quae antea commemorauimus, post finem huius mundi suo quodam modo & ordine cessatura.

14 Primo nimirum caeli, resoluta illa, quae ob bonum totius vniuersi secunda die acceptant; duritiae, rursus uti natura eorum postulat, liquefcent, iuxta illud Isaia 51. *Caeli sicut funis liquefcent, & c.* Et Psal. 101. *Ipsi peribunt inftar glaciei scilicet, quando liquefcent, ut dictum. & Job 14. Donec aueratur calum, hoc est, quasi comminatur, ac in tenuissimum veluti puluerem redigatur. Et 2. Petri vltimo Caeli magno impetu transiunt & c.* Et infra: *Cum igitur haec omnia dissoluenda sunt & c.* sicut enim in ceteris elementis accidit, ut quanto superiora sunt, tanto natura sua sint liquidiora & subtiliora, ita verosimile est, caelis veluti supremis corporibus liquiditatem & subtilitatem sua natura, quam maximam conuenire, quam proinde in fine mundi denuo recuperaturi sunt. Excepit tamen hic caelum Empyreum, quod Beatorum habitationi destinatum, soliditatem utique suam ob eandem causam perpetuo duraturam, retinebit, liquido nihilominus caelesti corpore, quod aquas supernas esse diximus, in medio vndiquaque perfusum.

15 Secundo aquae, quae antea, ut hominum ac animalium habitationi commodum locum cederent, in vnum locum fuerant congregatae, ad suum naturalem locum denuo redibunt, totamque adeo terram cooperient. Tertio proinde, terra gramine, herbis, arboribusque destituetur; quae ob solum mortaliu hominum, bestiarumque usum tertio die conditae fuerant: ut colligitur ex 2. Pet. 2. v. 10. *Terra autem, quae in ipsa sunt opera excipitur.* Quarto, pro his, alijque veteris mundi ornamentis, caeli ac elementa omnia, quatenus ipsorum natura patitur, nouo auctiorique lumine collustrabuntur; sublato coloru ac syderum motu qui ad solas temporum vicissitudines efficiendas, caelis astrisque inducus erat. Accessionem autem illam maioris luminis altero ex duobus modis esse venturam credibile est: nimirum ut vel in caelis iam non sit vnus tantum sol, qui vnum solummodo terrae hemisphaerium illuminet; sed plures, multoque auctiori lumine singuli, qui totum mundum inferiorem secundum vtrumque hemisphaerium vndique affatim illustrent; ipsa fortassis etiam luna ad solis claritatem euecta, iuxta illud Isaia 30. *Erit lux luna, sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum; vel ut lux caelestis corporis, post extremum iudicij diem non sit ad vllas certas eiusdem corporis partes adstricta, sed vndique per totum caeleste corpus aequaliter diffusa. Quo modo etiam lucem primo die creatam (tenuiorem tamen vtique) per totum caeleste corpus diffusam fuisse, Patres nonnulli existimauerunt, ut suo loco dictum.*

16 Neque vero absurdum existimauerim, stellas ac reliquos planetas, cum in ministerium hominis mortalis, ut dictum, & ob solas rerum inferiorum generationes adiuuandas fuerint producti, simul

etiam tunc desituros, arque auctiori caelorum luminis, admodum antea declaratum, materiam subministraturos, ut significari videtur Isaia 24. *Abiit stella de caelo cadent, & forte etiam illo loco Lucae 21. *Stella de caelo cadent, & virtutes caelorum mouebuntur.**

17 Quinto, Aquatilia, volatilia, reptilia, item bestiae & iumenta, cunctaque terra animalia & corpora mixta, iuxta 2. Pet. 3. v. 10. *igne existant, & corruptione, nullisque fordidus & impuritatibus conseruari non possunt: nisi quis existimet, bestias, non minus quam homines, post hanc vitam quendam immortalitatis statum consequatur;* quod a communi fidelium ac SS. Patrum sensu videtur alienum. Denique sublatis bestiis & animalibus, ceterisque corporibus mixtis, cum nullus etiam homo futurus sit mortali conditioni obnoxius, nullo etiam opus erit alimento; ex terra alijque elementis percipiendo.

18 Qua quidem ratione hoc totius mundi systema constituetur. Centrum mundi occupabit terra, eiusque intimum ac infimum sinum infernus damnatorum; locum paulo superiorem limbus puerozum, qui sine baptismo & gratia decesserunt. Non enim facile audiendi, qui nescio quam in terra naturalem felicitatem ac beatitudinem illis transcribunt, ut suo loco etiam docui tomo 2. disputat. 4. quest. 10. dub. 5. Terram vndique cinget & complectetur sphaera aquae; hanc liquidus & purus aer; aerem ignis; hunc caelum sydereum immobile vnicum ac liquidum; idque seu multiplici iam sole exornatum; seu vndique luce collustratum, quo vniuersus mundus inferior, iuxta conditionem cuiusque elementis, abunde illustrabitur. Denique supremum erit caelum Empyreum suamet propria luce vndiquaque perfusum, ac eximie splendescens: cuius tamen media ac intima pars, ut & ad beatorum habitationem, & ad varias vitae functiones a beatis obeundas, sit accommodata, liquida erit, & subtilissimi ac purissimi cuiusdam aeris inftar, beatorum corpora suauissime afficiet.

19 Atque hac ratione intelligo, post finem huius mundi futuros caelos novos, & terram novam; item caelum & terram esse transiura, caelosque velut operum, mutandos; Et cetera quae superius attulimus scripturae testimonia, ad eandem hanc doctrinam facile possunt accommodari. Quae quoad praecipua capita expresse traditur a plerisque Scholasticis Doctoribus, ut quod caelorum motus cessaturus sit, quod elementa repurganda, quod mixta omnia corpora inferiora sint corruptenda, &c. Vide S. Thomam loco citato.



## Q V Æ S T I O V.

De operibus quintæ & sextæ Diei; nimirum animalium,  
ipsiusque hominis productione.

S. Thomas I. p. q. 71. &amp; 72. item à q. 90. vsque ad q. 102.



*A*bsoluetur hæc quæstio duabus dubitationibus. I. Quodnam fuerit vniuersum opus quintæ & sextæ diei: & in specie quomodo homo ad imaginem & similitudinem Dei factus sit. II. Quenam fuerit conditio hominis in statu natura integræ & incorruptæ. Quibus denique addetur Synopsis totius opificij sex dierum, ad textum Moysi Genes. 1. accommodata.

## D V B I V M I.

## Quodnam fuerit vniuersum opus quintæ &amp; sextæ diei; &amp; in specie quomodo homo ad imaginem &amp; similitudinem Dei factus sit.

S. Thomas I. p. q. 71. 72. &amp; 93.

**T**Ria sunt opera horum dierum, vt constat ex Genes. 1. v. 20. Primum sunt aquatilia, & volatilia omnia, quinto die ex aquis producta; secundum sunt omnia animantia terræ rationis expertia sexto die ex terra producta; tertium est homo ad imaginem & similitudinem Dei factus eodem die sexto: cuius ordinis rationem iam exposuimus supra quæst. 4. dub. 2. Duo vero opera, non solum virtute, vt Augustinus dicebat, sed actu & formaliter designatis diebus fuisse producta; & quidem aqua & terra ad eorum productionem proxime quidem non nisi materialiter concurrentibus, patet ex ijs, quæ in simili, dicta sunt quæst. 4. dub. 1. & fufius prosequitur S. Thomas cit. q. 71. & 72.

Quibus positis, circa eadem duo opera priora, quæritur primo, quare inter opera vtriusque; quintæ nimirum, & sextæ diei, numerentur reptilia. Respondeo breuiter cum S. Thoma cit. q. 71. art. vn. quinto die fuisse producta reptilia aquatica, vt iuxta versionem LXX. & latini Interpretis nostri sunt pisces omnes; qui cum pedibus & alis careant, reptare quodammodo in aquis videtur, tamen hoc præcipue tribui possit ijs, qui pinnulis velut alis destituuntur, vt sunt murena, anguilla; sexto autem die fuerunt producta reptilia terrestria, vt serpentes, crocodili, lacerti, &c. quæ propterea reptilia terræ dicuntur. De qua re Hugo lib. añot. in Gen. c. 7. & Bonaentura in 2. d. 15.

Secundo quæritur, quare productio aquatiliũ & auium, aqua tribuatur; cum tamen terræ potius constare videantur. Ad hoc respondet sanctus Thomas cit. quæst. 71. art. vn. ad I. Corpora auium & piscium posse dupliciter considerari, vno modo secundum se; & sic necesse est, inquit, quod in eis magis terre elementum dominetur: quia ad hoc, vt fiat con- temperatio mixtionis, in corpore animalis, necesse est, quod quantitatiue abundet in eo elementum, quod est minus actiuum, scilicet terra. Sed si considerentur secundum quod sunt nata moueri talibus moribus; sic habent affi-

nitatem quandam cum corporibus, in quibus mouentur, & sic eorum generatio hic describitur.

Sed quia obijci mox poterat, ea ratione auium productionem aëri, non aquis attribuendam fuisse, respondet ibidem ad 3. aëris elementũ, quia insensibile est, per se (ac scorim) à Moysè non connumerari, sed cum alijs; & quidem quoad partem superiorem cum cœlis; quoad inferiorem cum aqua. Ad di potest, aquam à Moysè etiam hoc loco generatim accipi, pro substantia diaphana & liquida, præterquam quod aër terræ propinquus, multis vaporibus & aqueis exhalationibus abundat.

Omitto quod Caictanus, Catharinus, Vielmus, & ferè Pererius in hunc locum, existimant, genuino scripturæ sensu, & iuxta veritatem hebraici textus, non significari aues ex aquis productas. Quod non probatur: quia nostra lectio cuiuslibet alteri textui præferenda sane alium sensum non admittit; iſque communi SS. Patrum & Doctorum sententiã hactenus comprobatus fuit, à quo non est recedendum: præsertim quando ipsa etiam Ecclesia eum sensum in cõlueto hymno exprimit: *Magna Deus potentia, qui ex aquis ortum genus, partim remissus gurgiti, partim leuas in aëra, vt recte etiam notauit Gregorius de Valentia disp. 5. quæst. 3. punct. 5.*

Nec obstat illud Genes. 2. vers. 19. *Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli.* &c. Nam præterquam quod Valentia loc. cit. cum Augustino lib. 9. super Gen. c. 1. illud, *de humo*, solum ad animantia terræ spectare existimat, facile est ex dictis cum S. Thoma respondere, volatiliũ productionem vtrique elemento, tam terræ, quam aquis, tribui posse, siue diuerso respectu, vt dictum, siue quia ex vtriusque elementi materia magna ex parte constant.

Tertio quæritur, vtum omnia animalia aquatilia & terrestria duobus hisce diebus à Deo fuerint producta, & quid de amphibijs sentiendum; Respondeo, producta fuisse omnia animalia, quæ

&amp; ex

& ex femine generantur; & virtutem generati-  
uam ad simile sibi progignendum habent; secus  
est de ijs, quæ vel non nisi ex coitu diuersæ speciei  
animalium generantur, nec adeo vim habent ad  
generandum sibi simile, vt sunt muli, vel quæ  
iuxta naturas rerum, primum non nisi ex putre-  
factione seu excrementis aliorum animalium ge-  
nerantur, vt sunt pediculi, pulices. &c. hæc enim  
tunc non actu, sed in potentia solum fuerunt  
producta, vt bene docet S. Thomas quest. 72. art.  
vn. ad 5. Amphibia autem ad ea reducuntur, cum  
quibus maiorem habent conformitatem, iuxta  
tundem q. 71. ad 4.

8. Iam vero quod speciatim ad hominem attinet,  
difficultas est, circa illud, quod homo dicitur  
factus ad imaginem & similitudinem Dei; de qua te-  
quæritur primo, quo sensu generatim homo di-  
catur ad imaginem Dei; an quod homo sit imago  
Dei; an quod Deus sit imago hominis. Respon-  
deo cum Sancto Thoma quest. 93. articulo. 5. ad  
4. hominem dupliciter ad imaginem Dei factum  
dici posse; primum vt vocula *Ad designet* termi-  
num *factiouis*, vt sit sensus. *Faciamus ita homi-  
nem, vt sit imago nostra*: Secundo, vt vocula, *Ad  
imaginem*, significet causam exemplarem, ita vt  
imago dicatur Deus ipse seu natura diuina, velut  
exemplar, ad cuius similitudinem homo factus  
est. E quibus tamen prior sensus magis probatur:  
quia essentia diuina non nisi abusive & improprie  
imago dicitur, secundum quod imago ponitur pro exem-  
plari, vt ait S. Thomas ibidem.

9. Secundo quæritur, in quo hæc ratio imaginis  
Dei, quam homo habet, potissimum consistat.  
Respondeo, exeluso Anthropomorphitarum er-  
rore, superius refutato, disp. 2. quest. 3. dub. 1.  
qui eam imaginis ratione in corporis figura & li-  
neamentis constituebant; & rationem imaginis  
proprie positam esse solum in mente, seu anima  
hominis, vt docet S. Thomas cit. quest. 93. a. 6.  
& tradunt communiter SS. Patres, Basiliius ho-  
mil. 10. Hexaem. Gregorius Nyssenus orat. in  
illud, *Faciamus hominem*, Ambrosius lib. 6. Hexa-  
em. cap. 8. & Augustinus in Psal. 48. conc. 2. et si  
de hac re dubitauerit Epiphanius cont. hæres. 70.  
Quod hoc modo declaratur & probatur. Quia  
ad imaginem duo requiruntur, nimirum primo,  
vt sit facta ad aliquam imitationem seu similitu-  
dinem alterius; quare ouum ouo quidem simile  
est, sed vnum alterius imago non dicitur: secun-  
do, vt habeat similitudinem cum illo, a quo ex-  
pressum est, non tantum genericam; sed etiam  
aliquo modo specificam; siue secundum speciem  
essentialem vtri que communem; quo modo filius  
dicitur imago sui Patris; siue secundum aliquod ac-  
cidens proprium speciei; & praecepit secundum figuram,  
sicut hominis imago dicitur esse in eo pro. Quia igitur  
anima & mens hominis & ad imitationem essen-  
tia diuina velut cause exemplaris rerum omnium  
facta est; & simul etiam peculiarem quandam eum  
Deo similitudinem habet, secundum ipsam suam  
rationem specificam, naturam scilicet intelligentis,  
vtri que analogice communem, idcirco vere dicitur  
imago Dei.

10. Res cætera vero, quia tantum habent quandam

cum Deo similitudinem, secundum rationem ge-  
nericam; vel quia sunt; vel quia sunt & viuunt,  
&c. idcirco effectus quidem Dei, & vestigia dicitur,  
sed non imagines Dei; sicut etiam vermis ex  
homine prognatus non dicitur imago hominis, vt  
pluribus declarat S. Thomas q. 93. a. 2. Secus est  
de Angelis, qui cum quoad perfectionem intelli-  
gendi hominem superent, perfectius etiam ratio-  
nem imaginis Dei participant, quam homo; et si  
neuter cum plena & exacta perfectione, sed solum  
imperfecte; quia ad perfectam similitudinem spe-  
cificam & essentialem non perueniunt, sed infinite  
nihilominus a Deo distant; vt docet idem S.  
Thomas cit. q. 93. a. 1. & 3.

Tertio quæritur, Vtrum sit in homine imago  
Dei, solum quatenus secundum essentiam vnaus,  
an etiam quatenus trinus est in personis. Respon-  
detur cum S. Thoma cit. q. 93. a. 5. hominem vtro-  
que modo esse ad imaginem Dei; priori quidem  
modo, considerando vniuersim rationem naturæ  
intelligentis; vt quæ sit præcedenti dictum; ea e-  
nim omnibus personis secundum essentiam com-  
munis est: posteriori vero considerando in ipsa  
mente, seu anima hominis, tres re vel ratione dis-  
tinctas perfectiones; siue quia in homine cerni-  
tur principium Verbi, Verbum, & Amor ab vtro-  
que præcedens, quo modo eam imaginis rationem  
declarat S. Thomas cit. q. 93. a. 6. & ante illum S.  
Augustinus 9. de Trinit. cap. 4. vbi assignat ima-  
ginem Dei in anima secundum hæc tria, quæ sunt  
*mens, notitia, & Amor*: siue quia in homine sunt  
memoria, intelligentia & voluntas, vt docet idem  
Augustinus lib. 10. de Trinit. cap. 3. & 4. Quan-  
uis autem imago Dei inueniatur in anima primo  
& principaliter secundum actus, prout ex notitia,  
quam habemus, cogitando interius Verbum forma-  
mus; ac præcipue notitiam ipsius Dei, iuxta  
Augustinum lib. 14. de Trinit. cap. 1. deinde ve-  
rò ex hoc Verbo in amorem, eiusdem Dei potissi-  
mum; prorumpimus; nihilominus tamen, quia  
principium actuum sunt habitus & potentia, animum quodam  
autem virtualiter est in suo principio; secundario & quasi  
ex consequenti imago trinitatis potest attendi in anima se-  
cundum potentias, & præcipue secundum habitus, prout  
scilicet in eis actus virtualiter existunt, vt docet S. Tho-  
mas q. 93. art. 7.

Eadem similitudo hominis eum sanctissima Tri-  
nitate colligitur ex illis verbis Genes. 1. v. 26. *Faci-  
amus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*;  
quem esse sermonem nõ Dei cum Angelis, sed Pa-  
tris eum Filio & Spiritu sancto (non vocalem in-  
assumpto corpore, vt male existimauit Bugubinus  
in sua Cosmopœcia, & Hieronymus Oleaster in  
cap. 1. Genes. sed intelligibilem) tradunt com-  
muniter SS. Patres, Gregorius Nyssenus orat. in  
illud, *Faciamus hominem*, Ambrosius li. 6. Hexaem.  
cap. 8. & Augustinus 12. Trinit. cap. 6.

Quarto quæritur, an, & quo modo ratio simi-  
litudinis, ad quam homo factus dicitur, distingua-  
tur à ratione imaginis. Respondeo cum S. Thoma  
cit. q. 93. a. 9. post Augustinum lib. 83. q. 5. 1. di-  
stingui; & quidem dupliciter, primo vt similitu-  
do sit præambula & prior imagine, tanquam ratio  
communis in imagine inclusa, cum sit de ratione  
cuius-

cuiusq; imaginis, vt sit ad similitudinem exemplaris facta, vti dictum est. Secundo, vt sit aliquid ratione posterius, & quasi perfectio superaddita comuni rationi imaginis, ita vt dicat peculiarem expressionem & perfectionem imaginis; quo modo dicimus vnam imaginem esse prototypo similiorem, quam alteram; aut vnam absolute similem, alteram non ite. Et hoc posteriori sensu similitudo loc. cit. additur ad imaginem, significans similitudinem gratie, perficiendam in gloria. Quia vt dicit Damascenus l. 2. c. 13. *Id quod est secundum imaginem, & intellectu significat, & arbitrio liberum, per se potestatum: quod autem secundum similitudinem virtutis, secundum quod homini possibile est, habere similitudinem.* Et ad idem refertur, inquit S. Thomas, quod similitudo dicitur ad dilectionem virtutis pertinere. Non enim est virtus sine dilectione virtutis.

14 Ex quo sequitur, omnes quidem homines esse ad imaginem Dei; vt docet idem S. Thomas q. 93. a. 4. quandoquidem ratio imaginis in ipsa natura mentis seu anime posita est, vt dictum; sed ad similitudinem Dei speciali ratione & sensu, quem scriptura citato loco Genesis intendit, solummodo esse iustos. Quod etiam tradit Origenes l. 3. peri archion cap. 6. Basilius homil. 10. in Hexaem. Gregorius Nyssenus orat. in illud, *Faciamus hominem.* Theodoretus q. 20. in Genes. & Theologi cum Magistro in 2. dist. 16. Quanquam Patres nonnunquam etiam imaginem Dei ita interpretentur, vt eam, in gratia Dei positam, ac peccatum amitti asserant; quod tamen in Origene improbat Epiphanius epist. ad Ioann. Hierosolymitanum & haeresi 78. & ex parte etiam retractat Augustinus l. 2. Retract. cap. 24. Plura de his reb; Pererius tom. 1. in Genes. lib. 4. & S. Thomas locis citat. & quest. 92. vbi speciatim de formatione mulieris ex costa Adami agit; asserens a. 3. cam costam in Adamo fuisse, supra conuictum numerum costarum; nec adeo eius loco nisi carnem, vt loquitur scriptura, restitutam: et si alij aliter; male quidem Caietanus Genes. 2. asserens, Eum non vere & proprie, sed solum metaphorice productam fuisse ex costa Adami: quod parum tutum in fide censet Molina disp. 24.

#### D V B I V M II.

*Quenam fuerit conditio hominis in statu naturae integrae & incorruptae.*

S. Thom. 1. p. q. 94. vsque ad q. 102.

1 PROsequar tantum potiora; & paucis quaestibus rem breuiter declarabo. Queritur primo; qua scientia primus homo in statu Innocentiae fuerit praeditus. Respondeo cum S. Thoma q. 94. Adamum fuisse conditum cum perfectissima scientia; quamuis enim non habuerit cognitionem quidditatiuam vel intuitiuam Dei; nec quidditatiuam Angelorum; tamen eos cognitione naturali abstractiua multo cognouit apertius, quam ab villo homine cognosceatur, vt cum Sancto

Thoma hic q. 94. artic. 1. & 2. habet communis. Deinde per fidem cognouit Adam tantum Deum; vt auctorem bonorum supernaturalium; ipsamque sanctissimam Trinitatem; tum Incarnationem Verbi, quoad substantiam; adeoque mysterium coniunctionis Christi & Ecclesiae; vt ex communi docet S. Thomas 2. 2. quaest. 2. articulo 7. & forte etiam casum & ruinam Angelorum, vt docet Catharinus in cap. 1. Genes. & probabile censet Pererius lib. 5. in Genes. & Gregorius de Valentia disputat, 7. quaest. 2. pun. 1. Tertio habuit scientiam per accidens infusam omnium rerum naturalium; quatenus vel ex primis principijs per se notis sciri possunt, vel ad alios erudiendos & gubernandos sciri debent; quicquid de scientia elementorum & corporum caelestium, sine causa negarit Caietanus q. 94. a. 3. non autem cognouit numerum arenae maris, aut secreta cordium, & similia; vt ex communi docent S. Thomas cit. q. 94. a. 3. & Doctores in 2. d. 2. 3. Neq; vero illa scientia fuit specie diuersa a nostra; cum solum differret per accidens, ratione modi eam acquirendi, vt cum Caietano cit. a. 3. recte Valentia loc. cit.

Denique ad perfectionem eius scientiae pertinet, quod Adam, dum ex statu Innocentiae per peccatum mortale non excidit, nullam in re potuit decipi; probabilibus solum vt probabilibus; & cum modo probabilitatis, non absolute assentiens, vt in simili de Angelis dictum, & docet S. Thomas cit. quaest. 94. articulo 4. post Augustinum lib. 3. de lib. arbit. cap. 12. vti ait: *Approbare vera pro falsis; non esse naturam instituti hominis, sed poenam damnati.* Quare nec Eua prius fuit a serpente decipita; quam in ea esset amor propriae potestatis, & quaedam de se superba praesumptio, vt cum S. Augustino lib. 10. Genes. ad lit. capit. 30. docet S. Thomas cit. articulo 4. ad 1. Quae omnia fere colliguntur ex illo Eccles. 17. v. 5. vbi de primis parentibus dicitur: *Cor dedit illis cogitandi, & disciplina intellectus repleuit illos. Creauit eis scientiam spiritus, sensu impleuit cor illorum; & mala, & bona ostendit eis: posuit oculum ipsorum, super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum &c. vt magnalia enarrant operum illius.*

3 Queritur secundo; quam fuerit conditio hominis in statu innocentiae, quoad voluntatem, adeoque gratiam & iustitiam. Respondeo, hominem in eo statu fuisse conditum cum gratia iustificante; ipsaque, quam vocant, iustitia originali. Ita ex communi docet S. Thomas q. 95. a. 1. post Augustinum lib. 12. de ciuit. Dei capit. 9. et si de hac re perplexus locutus fuerit Magister in 2. dist. 23. & auctor libri quaest. veteris & noui testamenti quaest. 123. & colligitur ex illo Eccles. 7. versu 30. *Deus hominem fecit rectum. Quae rectitudo in hoc consistebat, quod & ratio subdebatur Deo; rationi vero inferiores vires; (ita vt in appetitu nulla esset rebellio aduersus spiritum) & anima corpus: & quibus prima subiectio erat causa & secunda & tertia.* Quamdiu enim ratio manebat Deo subiecta; etiam inferiora rationi subiciebantur, vt cum Augustino lib. de natura & grat. capit. 15. & de corrept. & grat. cap. 11. docet S. Thomas ibidem.

4 Nec obstat, quod in hoc eodem libro cap. 10. dicit Augustinus, *Deum sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut prius in eis ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset sua gratia beneficium, insititque iudicium.* Nam ut bene Sanctus Thomas ibidem ad 3. sensus non est, Angelum vel hominem prius fuisse creatum in naturali libertate arbitrij, quam haberet gratiam; sed Deum ostendisse, *quid in eis posset liberum arbitrium, ante confirmationem; & quid postmodum consecuti essent per auxilium gratia confirmatis.* Sic autem Angelus nihilominus gratiam accepit per propriam dispositionem, quam in eodem instanti habuit, ita hoc etiam credibile est de primo homine, ut docet S. Thomas cit. artic. 1. ad 5. quia motus voluntatis non eget mora vel successione. Gratiam autem sanctificantem comitabantur ceteræ virtutes, ut docet S. Thomas q. 95. a. 3. & in simili de Angelis dictum.

5 Quæritur tertio, an & quale dominium homo in statu innocentia habuerit, tum in res ceteras corporeas; tum in alios homines. Respondeo habuisse dominium quoddam naturale, cum infallibili effectu, ne vnquam homini resisterent, vel nocerent; tum in bestias & animalia omnia; (quibus si natura sua carniuora essent, suis nihilominus cibus naturalis, ex aliorum animantium cæde defuturus non erat, iuxta S. Thomam q. 96. a. 1.) tum in plantas & res alias inferiores; *non quidem his dominando per imperium, vel immutationem, sed absque impedimento utendo eorum auxilio;* ut docet S. Thomas quæstion. 96. articulo 1. & 2. Et colligitur ex capit. 1. Genes. versu 26. *Præstiti piscibus maris, & volatilibus caeli, & bestiis, vniuersaque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra.* Et versu 29. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram.* &c. Secus est de cælis ipsis, & astris; quia his homo suo arbitratu non poterat uti, nec de ijs disponere: præterquam quod secundum vniuersalem vim & rationem causandi, ipso quoque homine essent superiora.

6 Sed & futurum erat in eodem statu innocentia dominium vnus in alios homines; non quidem proprietatis, velut in seruos seu mancipia; sed Iurisdictionis, velut in liberos & conciuces; quos & ad eorum proprium, & comune bonum ordinaturus esset. Hoc enim in cõmunitate requirit bonus ordo politia, ipsumque bonum commune, ut docet S. Thomas q. 96. a. 4. & tradit Augustinus lib. 19. de ciuit. Dei, cap. 14. vbi ait: *Iusti non dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi: hoc naturalis ordo præscribit; ita DEVS hominem condidit.* Neque tamen in paradiso vilius ideo locus pœnæ aut coactioni futurus esset; quia in eo, manente statu innocentia, nec transgressio locum habitura esset.

7 Quæritur quarto, an & qua ratione homo in statu innocentia fuerit immortalis & impassibilis; loquendo scilicet de passione corruptiua & proprie dicta, qua subiectum à sua naturali dispositione remouetur. Respondeo, omnino fuisse immortalem & impassibilem; non quod, etiam excidendo ex statu innocentia per peccatum, pati & mori non potuerit; sed tum

quia poterat omnino, si vellet, & non pati, & non mori; tum quia nec poterat quidem, manente eo statu innocentia, quicquam pati, vel mori, ut docet Sanctus Thomas quæstion. 97. articulo 1. & 2. post Augustinum, seu quisquis est auctor quæstionum noui & veteris testamenti quæstion. 19. vbi dicitur: *Deus hominem fecit, qui quamdiu non peccaret, immortalitate vigeret, ut ipse sibi auctor esset, aut ad vitam, aut ad mortem.* Quam rem ex instituto profequitur Augustinus lib. 1. de peccat. merit. & remiss. capit. 2.

8 Causa vero & propria ratio huius immortalitatis non erat, quod aut ipse homo intrinsece per naturam esset incorruptibilis, uti sunt ea, quæ vel materia carent, ut Angeli; vel materiam ad vnã tantum formam determinatam habent, ut corpora celestia; nec quod ratione ipsius anime, veluti formæ, per redundantiam in corpus transfundentis quendam incorruptionis vigorem; immortalis esset, uti corporibus beatorum accidit; sed solum ratione causæ efficientis, infallibiliter hominem à corruptione in eo statu præseruantis; tum ipsius scilicet Dei, propriae que ipsius hominis industriae, remouentis vel cauentis ea, quæ corruptionem possent causare; tum etiam arboris seu ligni vitæ, cuius esu identidem subinde, ac per certa temporum interualla repetito, humidum radicale calorq; naturalis in suo vigore perpetuo conseruaretur, ut docet S. Thomas cit. q. 97. a. 1. & 4. post Augustinum lib. 14. de ciuit. Dei, cap. 26. vbi ait: *quod cibus aderat homini, ne esuriret, potus ne sitiret, & lignum vitæ, ne senectus eum dissolueret.* Et auctor lib. qu. noui & veter. testam. ait, *quod vitæ arbor, medicina modo, corruptionem hominum prohibebat.* Nec opus videtur alia qualitatè animæ indita, quam Caietanus ex S. Thoma, uti patet; eod. a. 3. assignat, & rejicit Scotus in 2. dist. 19. q. vn.

9 Ea tamen impassibilitas non obstat, quominus in eo statu locum haberet indigentia & vsus cibi, potusque; atque etiam vsus naturalis generationis per coitum, sed absque libidine, & sterilitatis defectu, ut docet S. Thomas quæst. 96. articulo 3. & cit. quæstion. 97. a. 3. & q. 98. a. 1. & 2. post Augustinum de ciuit. lib. 14. c. 26. & satis patet ex Genes. i. versu 29. & capit. 2. versu 21. & 24. etsi de naturali generatione aliter senserint Gregorius Nyssenus lib. 3. de hom. capit. 18. & lib. 18. de prouid. capit. 18. Chrysostomus homil. 18. in Genes. Damascenus libro 4. capit. 25. & Euthymius in psal. 50. sed sine causa & fundamento nec satis consentaneè scripturæ Genes. 2. v. 24. *Et erunt duo in carne vna.*

10 Quinto quæritur, quænam tunc futura fuisset conditio prolis in eo statu prognerandæ. Respondeo primo, omnes nascituros fuisse corpore sano & integro; non tamen adhuc quoad mortem, vsum membrorum, & staturam perfectæ; sed sensim; uti hominis natura exigit, perficiendo; ut docet S. Thomas quæst. 99. a. 1. Secundo nati fuissent omnes cum gratia & iustitia originali; ut docet S. Thomas q. 100. a. 1. etsi nonnulli de gratia aliter senserint. Et ratio est; Quia

Gratia & Iustitia originalis in Adamo fuit accidens ipsius quasi naturæ specificæ; alioqui enim eius amissio nihil obesse posteris poterat; nec ipsis in peccatū imputari: Ergo destinata etiam erat pro posteris.

11 Non tamen nati fuissent ideo in iustitia confirmati, vt secundum mentem Augustini lib. 14 de ciuit. cap. 10. docet S. Thomas quæst. 100. art. 2. etsi contrarium sibi persuaserit Anselmus lib. Cur Deus homo, cap. 36. Et ratio est. Tum quia consentaneum erat, vt quamdiu status merendi duraret, maneret etiam libertas ad vtrumlibet, bonum scilicet & malum. Tum quia non conueniebat, vt proles meliore conditione nasceretur, quam qua Pater ipse primus conditus fuit; qui vtique non obstante statu innocentie, potuit peccare. Neque tamen peccatum vnius ex posteris Adæ nocuisset alijs, sed ipsi solum, mox idcirco ex paradiso exterminando, eiusque proli deinceps ex ipso nascituræ, &c.

12 Tertio nati fuissent in eo statu omnes, non quidem scientiam perfecti: nec cum pleno vsu rationis; sed eā mentis & ingenij facultate; qua absque difficultate scientias acquisissent, siue inueniendo, siue addiscendo; vt docet S. Thomas quæst. 101. a. 1. & 2. Quarto nati similiter fuissent omnes immortales & impassibiles, iuxta modum quæstione 4. explicatum; & sequitur ex vi ipsius iustitiæ originalis, qua cum illi fuissent nati, vt ex S. Thomæ dictum q. 100. a. 1.

13 Sexto queritur, vtrum omnes in eo statu progeniti futuri fuissent pares, siue quoad corporis, siue animi dotes. Respondeo cum Sancto Thomæ quæst. 96. art. 3. & ex dictis, negatiue. Varia enim inter eos futura erat inæqualitas; & primum quidem quoad sexum; nam & viri & mulieres futuri erant. Secundo ratione ætatis, non enim simul vtique omnes erant nascituri, sed successiue alij atque alij, donec prædestinatorum numerus completeretur: qui an idem præcisè futurus esset, qui modo est, incertum est, & non nihil disputatum de prædestinat. disput. 3. quæst. 5. dub. 5. Tertio ratione stature corporis, ex dictis quæstione 5. & probabiliter etiam ratione virium & roboris etiam in pari alioquin ætate. Quia vt bene notat Sanctus Thomas cit. quæst. 96. articulo 3. [Corpus humanum non erat totaliter exemptum à legibus naturæ; quin ab agentibus exterioribus aliquod commodum aut auxilium reciperet, magis vel minus, cum etiam & cibus vitæ eorum sustentaretur. Et sic nihil prohibet dicere, quin secundum diuersam dispositionem æris, & diuersum situm stellarum, aliqui robustiores corpore generarentur, quam alij, & maiores, & pulchriores, & melius complexionati, ita tamen, quod in illis, qui excederentur, nullus esset defectus, siue circa animam, siue circa corpus.] Ita S. Thomas.

14 Quarto iuxta eundem ibidem, etiam secundū animam diuersitas fuisset, & quantum ad iustitiam, & quantum ad scientiam. Non enim ex necessitate homo operabatur; sed per liberum arbitrium: ex quo ratio habet, quod homo possit magis vel minus animum applicare ad aliquid faciendum, vel volendum, vel cognoscendum. Unde quidam magis profecissent in iustitia &

scientia, quam alij. Ita Sanctus Thomas ibidem. Ex quo sequitur, etiam futuram tunc fuisse inæqualitatem in remuneratione & gloria; quæ gratiæ & meritis responderet, vt suo loco de hominibus in hoc statu viuentibus dictum disput. 2. quæst. 6. dub. 5.

15 Septimo queritur; quamnam fuerit conditio loci, seu paradisi, in quo tunc homines victuri essent: & an paradisi adhuc superstit. Respondeo breuiter, de paradiso hæc statuenda videri. I. Adamum in paradiso non fuisse productum; sed extra paradysum; & postea in paradysum translatum, secus est de Eua, quæ in paradiso fuit formata. Ita Sanctus Thomas quæst. 102. articulo 4. & colligitur ex Genes. 2. vers. 15. Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illum. Et mox infra vers. 21. Adæ vero non inueniebatur adiutor similis eius. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adæ &c. Rationem congruentiæ rectè assignat Sanctus Thomas loc. cit. Quia paradysus fuit locus congruus humane habitatiōni, quantum ad incorruptionem primi status: incorruptio autem illa non erat hominis secundum naturam, sed ex supernaturali Dei dono. Vt ergo hoc gratia Dei imputaretur, non humana naturæ, Deus hominem extra paradysum fecit; & postea ipsum in paradiso posuit, vt habitaret ibi toto tempore animalis (seu naturalis) vitæ, post modum cum spirituales vitam (terminatione vitæ naturalis) adeptus esset, transferendus in celum. Alia fuit ratio Angelorum, quibus cum secundum ipsam eorum naturam, utpote supremam, congrueret supremus locus cœli, merito ab initio in illo fuerunt creati. Alia etiam ratio fuit mulieris, cui etsi pariter secundum naturam locus paradisi non deberetur, eum tamen ab initio suæ formationis obtinuit, ob dignitatem Adami, velut principij, ex quo iam in paradysum translato, fuit formata, vt dictum, & ibidem docet Sanctus Thomas.

16 II. Paradysum fuisse locum corporeum, & quidem in aliqua parte conuexæ ipsius terræ superficiæ positum. Ita S. Thomas cit. quæst. 102. a. 1. post Augustinum lib. 8. super Genes. ad lit. in princip. ex communi; quicquid Origenes & alij nonnulli in contrarium dixerint. Pater ex historica narratione Moysis, & maxime ex cit. Genes. 2. vers. 15. Posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illum; hoc est, excoleret, tum ob animi recreationem, tum ad comparandam experientiam virtutis naturæ, custodiret vero, non aduersus inuicem; sed sibi, ne ipsum peccando amitteret; vt rectè interpretatur Sanctus Thomas quæst. 102. art. 3. Terra autem illa, quæ excolenda erat, & flumina, quæ ex paradiso egrediebantur, Genes. 2. vers. 10. vbi esse poterant, nisi in superficiæ terræ quacunquē demum parte? Quod ergo Beda 2. Cor. 12. dixit, paradysum perstringere vsque ad lunarem circulum, aut non est verum, (si ad literam & propriè accipiatur; aut figuratè accipiendum est, secundum quasi effectum; quia fuit in eo tantaveris amœnitas & tranquillitas, perinde ac si lunarem circulum contingeret, vt respondet Sanctus Thomas cit. q. 102. a. 1. ad 1.

17 III. Paradisum permansisse saltem vsque ad diluuium. Ita præter communem Patrum sententiam colligitur ex scriptura Genes. 3. v. 24. *Eiecitq; Adam & collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiam viam ligni vite.* Quorsum enim tali custodia opus esset, si mox, aut paulo post foret destruendus? Præterquam quod nulla erat ratio destructionis, ipseque Enoch postea ad paradisum translatus fuisse dicitur Eccli. 44. v. 16. *Enoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, ut det gentibus penitentiam.*

18 IV. Paradisi quidem locum adhuc in terris vsquam extare; nec tamen determinate cognitum esse. Declarantur singula; Vtraque enim pars traditur à Sancto Thoma citat. quæstion. 101. articulo 2. & est communis Patrum ac Doctorum, qui absolute docent, paradisum adhuc superesse. Ratio sumitur ex præcedenti assertione. Quia enim paradisus erat quedam certa terre portio, singulariter à DEO excolta, ornata, & ad hominum habitationem accommodata, non potest negari, eum locum secundum se & materialiter acceptum adhuc superesse; quia terra nulli sui tam nobili parte diminuta est: etiamsi gratis interim concedatur, eam partem postea fuisse aquis seu mari circumfusam. Quia tamen nemo hæcenus fuit, qui eum locum in particulari cum fundamento solido determinauerit, nec ex Scriptura vllum sumi potest firmum indicium, quo is locus particulatim definiatur; idcirco nobis ille adhuc manet incognitus. Quamuis enim dicatur fuisse positus in Oriente, respectu Palæstinæ, iuxta Isidorum l. 14. Etymolog. c. 13. & S. Thomam q. 102. a. 1. & versionē LXX. & quorundam aliorum eius loci Genes. 2. v. 8. ubi nos legimus *A principio*, hebraice *Mikkedem*; cui nonnulli addunt fuisse sub æquinoctiali; quia tamē vtrumque loci attributum latissime patet; & quod de æquinoctiali dicitur, incertū est, nihil ex his particulatim potest definiri. Idem docent Augustin⁹ l. 2. de grat. Christi cont. Pelagiū & Cælestiū c. 23.

91 V. Probabile esse, eum paradisi locū modo ea amoenitate non esse p̄ditum, quam olim habuit: ac p̄inde nec paradisum absolute loquendo amplius existare: etsi contrarium non minus probabile. Priorem partem tradunt illi, qui absolute negant, paradisum modo existare, in quibus potissimum Pererius lib. 3. & 7. in Genes. post Iansenium in Concord. Euangelic. capit. 143. quos sequuntur non pauci recentiores. Probatur & declaratur. Quia paradisus, vt esset congrua hominis in statu innocentie habitatio, non habebat hoc à natura; sed singulari quasi cura & cultu ipsius Dei; Gen. 2. v. 8. *Plantauerat autē Dominus Deus paradisum (seu hortum) voluptatis à principio, &c.* Quod etiam ratio dicit. Quia p̄petua illa & constans æquabilitas ac temperies aeris, nudis hominum corporibus fouendis necessaria; coniuncta tamen simul cum aliqua temporis vicissitudine, frugibus necessaria, non poterat esse sine peculiari Dei cura ac providentia: siquidē in nulla terre parte, vt experientia liquet, talis temperies cōstanter reperitur. Deinde amoenitas salubritasque fructuum, ac p̄cipue arboris vitæ, non alium nisi

Deum quasi plantatorem & cultorem requirebat; quod etiam indicat scriptura Gen. 2. v. 9. *Produxitq; Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visui, & ad vescendum suave: lignum etiam vite in medio paradisi, lignumq; scientie boni & mali. &c.* Cum autem inundante postea diluuiō, cuius aquæ quindecim cubitis omnes montes superauerunt Gen. 7. v. 20. vtique etiam paradisi locum, nisi Deus singulari miraculo obstaret, obrui & destrui necesse fuerit; neq; tamen vlla appareat ratio, cur Deus singulari miraculo, aut eum aquis obrui noller, aut de nouo antiquam amoenitatem restaurari vellet, probabile fit, paradisi amoenitatem & decorem illum, vnde nomen accepit, non amplius existare.

Nihilominus quia cōmunis SS. Patrum & Doctorum consensus cum Magistro in 2. dist. 17. & cum S. Thoma q. 102. a. 1. ad 2. & 3. & a. 2. ad 3. & 4. censet, paradisum adhuc existare, in eoq; etiam nū Enoch & Eliam degere, non minus p̄babile est, etiamnum paradisum superesse, saltem secundum ea, quæ in ipso præcipuaerant; vt erat varia omnis generis fructū arborumq; amoenitas, aeris insignis temperies, & arbor vitæ. &c. quæ nū obstat post diluuiū etiam in alium forte terræ locū fuisse translata. Vide Gregorium de Valentia disp. 7. q. 6. pun. 2. & Molinam de operibus sex dierum, disp. 25. & sequentibus.

### Breuis Synopsis totius opificij sex dierum, ad textum scriptura Genes. 1. accommodata.

PLacet ad confirmationē eorum, quæ hæcenus tum de caelis, tum de reliquo opificio sex dierum docuimus, breui compendio rem totam sub conspectū p̄ponere; idq; iuxta seriem & contextum ipsius scripturæ Genes. 1. vbi hac de re agitur. Ex quo patet, totam Moysis narrationem, iuxta expositā à nobis doctrinā, facile, plane, ac p̄cipue intelligi posse; non autē ita cōmode secundum eam, quam multi alij, de opificio sex dierū, atq; in primis de caelis tradiderunt doctrinam. Sic igitur habent verba Genes. 1. iuxta traditam à nobis doctrinam explicata.

Versus 1. *In principio* (hoc est, in primo instanti temporis, ipsiusq; primi diei naturalis, tempore verno, vt dictum q. 1. dub. 4. & q. 2. dub. 1.) *creauit* (ex nihilo produxit, propria creatione, ex dictis q. 1. dub. 1. & q. 2. dub. 1.) *Deus* (ac tota sanctissima Trinitas, cui id opus commune, ex q. 1. dub. 2.) *Cælum* (totum corpus cælestē quoad substantiam) & *terram*; (elementum terræ, & omnia intermedia, quæ ab his continentur corpora simplicia, seu elementa: adeoq; totum mundum corporeum, quoad substantiam, vt dictū q. 2. dub. 2.)

Versus 2. *Terra assemet* (vti propria eius natura ferēbat) *erat inanis & vacua* (nullaq; adhuc distinctione, nec ornata plantarū, aliorumq; mixtorū corporū p̄dita); & *tenebræ* (duodecim quasi horarū, vniusc; adeo noctis spatio, ex dictis q. 2. dub. 3.) *erant super facie abyssi* (totiusq; mundi corporei, tam cælestis, quæ elemētaris, iā antea quoad substantiā creati, & quasi profundissima & caliginosa quadā abyssō demeriti.) *Et spiritus Dei ferēbatur super*

*aquas* [Hoc est, Deus ipse, qui Spiritus est, seu Spiritus sanctus, cui ratione amoris bonitas & fecunditas attribuitur, intima sua praesentia incubebat, seu incubabat quodammodo toti liquido illi ac diaphano, tam caelesti, quam elementari corpori, quod a terra sursum versus per infinita quasi spatia diffusum erat; tam illud fouendo, ac in suo Esse conseruando, quam ad vltiores perfectiones & effectus successiue deinceps, diebus sequentibus, recipiendos ac producendos destinando, vt dictum q. 1. dub. 4. & toto reliquo tractatu.

4 Versus 3. *Dixit Deus* (verbo mentis, non oris, adeoq; decreuit) *fiat lux*; [non luminare, seu certum aliquod & constans corpus luminosum; sed qualitas ipsa lucis corporeae, secundum lineam aequinoctialis circuli, in corpore caelesti diaphano, successiue pducatur, vt intra viginti quatuor horas, pductio illa, successiue facta, suu quasi circulu conficiat, perinde ac si corp<sup>9</sup> luminosum eodem temporis spatio motu suo circulum absolueret; eaq; lux deferuiat, tum ad distinctionem operum diuinorum praecipue corporis caelestis, tum vt successiua quasi p<sup>9</sup>motione, atq; ad aspectum suo quasi motu, diebus noctibusq; distinguendis, tantisper deseruiat; ex dictis q. 2. dub. 3.] *Et facta est lux*. [post duodecim videlicet horas noctis, seu tenebrarum, in plaga caeli Orientali, respectu Palaestinae; iuxta dicta ibidem.

5 Versus 4. *Et vidit Deus lucem, quod esset bona* adeoq; consentanea rerum naturis; non quod, vt opinor, ex essentia corporis caelestis velut pprietas emanet; sic enim caelos a principio lucidos fuisse, necesse foret; sed & astra consequenter inter se, & a caelis suis essentialiter differret: sed quod caelos, velut eximia quaedam perfectio ab omni corruptione aliena, sum opere exornet, bonoq; totius vniuersi admodum oportuna sit. ] *Et diuisit lucem a tenebris*. non efficiendo nouum aliquod interstitium lucis ac tenebrarum; sed spatia ac tempus earundem certa lege definiendo ac determinando, ex dictis cit. q. 2. dub. 3.

6 Versus 5. *Appellauitq; lucem diem* (artificialem, non naturalem; hic enim vtriusq; noctis ac diei artificialis spatium complectitur, ex dictis q. 2. dub. 1.) *Et tenebras* siue carentiam luminis, in mundo iam creato) *noctem*. *Factumque est vespere & mane* (hoc est, ex tempore tenebrarum, duodecim horis creationem lucis antecedente, & tempore productae lucis, totiusque diei artificialis, duodecim itidem horas conficiente) *dies vnus* [siue primus, vt dictum q. 2. dub. 1. & 3.]

7 Versus 6. *Dixit quoque Deus; Fiat* (non producat ex nihilo, sed ex praesubiecta materia caelestis corporis, ipsaq; substantia caeli sua natura & pro tempore adhuc liquida, ex dictis quaestione tertia, dubio secundo;) *Firmamentum* (condensatione & consolidatione caelestis corporis, ex quaestione tertia, dubio primo, & secundo,) *Et diuidat* (seipso velut solido & immutabili interstitio) *aquas* (superiores, siue superiorem caelestis corporis substantiam liquidam, beatorum habitacioni destinata) *ab aquis* [inferioribus, totoq; corpore liquido & diaphano elementari, vt dictum q. 3. dub. 1.]

8 Versus 7. *Et fecit Deus* (non creauit ex nihilo, nec productione seu mutatione substantiali, sed solu accidentaliter, addita caelesti substantiae soliditate, ex dictis cit. q. 3. dub. 1. *Firmamentum* (solidam illam caelorum machinam; in qua postea stellae ac planetae erant collocandi, ex dictis ibid.) *Diuisitque aquas, quae erant sub firmamento* (elementaris naturae) *ab his, quae erant supra firmamentum* [seu supra ipsu consolidatum iam caelorum corpus, caelestis naturae, vt dictum cit. q. 3. dub. 1. & 2.]

9 Versus 8. *Et factum est ita. Vocauitq; Deus firmamentum caeli*: (nomen illi substantiae iam antea conueniens, etiam noua soliditatis conditione accedente, & ppter continentiam aquaru, eidem quasi confirmauit.) *Et factum est vespere & mane* (noua rursus elapsa nocte & die artificiali, spatio horaru viginti quatuor) *dies secundus*, [vt dictu plurib<sup>9</sup> q. 3. dub. 1.]

10 Versus 9. *Dixit vero Deus; Congregentur aquae, quae sub caelo sunt* (elementares nimirum fluidae, & terram vndiq; sphaerae modo circumdantes) *in locum vnum*, (constituendo vnam sphaeram cum terra;) *& appareat*, (sitq; actu re ipsa atq; existat) *arida*. *Et factum est ita*. Vide q. 4. dub. 1.

11 Versus 10. *Et vocauit Deus aridam terram* (nomen itidem huic substantiae iam antea conueniens, etiam accedente ariditatis conditione, eidem confirmando;) *congregationesque aquarum appellauit maria*: *Et vidit Deus quod esset bonum*: [non quidem particulari naturae aquarum, sed totius vniuersi, hominisque ac animalium futurae habitacioni conueniens, vt dictum q. 4. dub. 1.]

12 Versus 11. *Et ait, Germinet* (concurso passiuo & materiali, non actiuo) *terra* (iam aquis nudata) *herbam viuentem, & facientem semen*. (etiamli venenata sit) *& lignu pomiferu faciens fructu, iuxta genus suu* (omnisq; adeo generis arbores) *cuius seme* (ad ppagationem futuram necessarium) *in semetipso sit super terram*. *Et factum est ita*. [vid. q. 4. dub. 1.]

13 Versus 12. *Et protulit terra* (actu & formaliter, non tantum virtualiter & in potentia) *herbam viuentem, & facientem semen, iuxta genus suum, lignuque faciens fructum, & habens vnumquodque seme, secundum speciem suam*. *Et vidit Deus, quod esset bonu*.

14 Versus 13. *Et factum est vespere & mane dies tertius*. [perinde vt versu 5. dictum est.]

Versus 14. *Dixit autem Deus; Fiant* (non, ex nihilo; nec substantiali mutatione, sed ex substantia caelesti praesupposita, addito lumine, ex dictis quaestione 4. dub. 1.) *luminaria* (tam stellae inerrantes, quam planetae) *in Firmamento caeli*, (solido illo corpore caelesti; ex dictis quaest. 3. dub. 1. *Et diuidant* (motu diurno) *diem ac noctem*; (non solum: hoc enim faciebat etiam lux illa imperfecta primo die creata; sed) *Et fini* (motu suo proprio difformiter, vniuniformi, que vna cum suis orbibus, quibus inexistunt, conficiunt) *in signa* (prognostica serenitatis vel pluuiae &c.) *Et tempora* (distinguendo quatuor anni tempora; vt aetatem, autumnum, hyemem) *Et dies*, (artificiales) *Et annos* [eorundem spatia definiendo; quamdiu hoc ad rerum inferiorum generationes, & habitantium in terra hominum vsus, nimirum ad extremum vsque iudicij diem, erit necessarium, ex dictis q. 4. dub. 2. & 5.]

15 Versus 15. *Ut luceant in firmamento caeli* (siue propria luce singula, siue à sole accepta) & *illuminent terram.* (non autem ut habitationem praestent nouo generi mortalium in astris habitantium, ex quaest. 2. dub. 5.) *Et factum est ita.*

Versus 16. *Fecitque Deus duo luminaria magna* (respectu aliorum astrorum, saltem ad aspectum) *luminare maius* (siue solem; ut praesentet diei (artificiali, eius horas ac spatium suo motu supra horizontem definiendo); & *luminare minus* (siue lunam) *ut praesentet nocti* (eam utcunque etiam illustrando, maxime dum in principio noctis plena exoritur) & *stellas.* [ceteras, tam inerrantes, quam errantes reliquias, ex quaest. 3. dub. 1. & q. 4. dub. 2.]

16 Versus 17. *Et posuit eas* (utriusque eius generis stellas) *in Firmamento caeli* (seu corpore caelesti consolidato, ex quaest. 3. dub. 1. & q. 4. dub. 2.) *ut lucentes* (singula iuxta suam conditionem & modum) *super terram.*

Versus 18. *Et praesentet diei ac nocti* (modo explicato) & *diuiderent lucem ac tenebras* (eorum tempora & spatia definiendo) *Et vidit Deus, quod esset bonum* [totinimirum Vniuerso, rerumque creaturarum, seu faciendarum naturis admodum contentaneum.]

Versus 19. *Et factum est vespere* & *mane dies quartus* [naturalis, horarum viginti quatuor, modo superius explicato.]

17 Versus 20. *Dixit etiam Deus: Producant aquae* (elementares, seu corpuselementare liquidum terrae proximum) *reptile* (aquaticum) *animae uiuentis* (adeoque pisces) & (producant quoque aquae) *volatile super terram, sub firmamento caeli* (seu sub ipso corpore caelesti consolidato, ex q. 3. dub. 1.)

Versus 21. *Creauitque Deus cetera grandia, & omnem animam uiuentem atque motabilem* (aquatilia omnis generis) *quam produxerant* (concurfu passiuo) *aquae in species suas: & omne volatile secundum genus suum.* *Et vidit Deus quod esset bonum.* [vide quaest. 5. dub. 1.]

Versus 22. *Benedixitque eis dicens, Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris, auesque multiplicentur super terram.* [continua & indefineta propagatione.]

Versus 23. *Et factum est vespere & mane dies quintus* [modo superius explicato.]

Versus 24. *Dixit quoque Deus: Producat terra animam uiuentem in genere suo* (animalia terrestria) *inuenta, & reptilia* (terrestria) *& bestias terrae, secundum species suas.* *Factumque est ita.*

18 Versus 25. *Et fecit Deus bestias terrae iuxta species suas, & iumenta, & omne reptile terrae in genere suo.* *Et vidit Deus quod esset bonum.* [vide quaest. 5. dub. 1.]

Versus 26. *Et ait: Faciamus* (verba diuinarum, personarum inter se quasi consultantium) *hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* (ut secundum animam, sit imago, & per gratiam similitudo nostra, tam secundum naturam Deitatis, quam Trinitatem personarum, ex dictis q. 5. dub. 1.) & *praesit* (dominio naturali, de quo quaest. 5. dub. 2.) *pisces maris, & volatilibus caeli, & bestiis terrae, omnique reptili, quod mouetur in terra.*

Versus 27. *Et creauit* (ppria creatione, spectando animam) *Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum; masculinam & feminam* (non ta-

men simul, sed successiue, nec in eodem loco ex q. 5. dub. 2.) *creauit eos.*

Versus 28. *Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini* (naturali via generationis, ex dictis q. 5. dub. 2.) & *replete terram; & subjicite eam* (quoad proratione stat<sup>9</sup> vobis commodum, aut necessarium erit) & *dominamini piscibus maris, & volatilibus caeli, & vniuersis animantibus, quae mouentur super terram.* [De quo dominio actum q. 5. dub. 2.]

Versus 29. *Dixitque Deus: Ecce dedi vobis* (vestroque dominio subiecti) *omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna* (excepta arbore scientiae boni & mali) *quae habent in semetipsis semen generis sui, ut sint vobis in escam;* (quoad natura singulorum fert) & *cunctis animantibus terrae, omnique volucri caeli, & vniuersis quae mouentur in terra, & in quibus est anima uiuens, ut habeant ad vescendum.* *Et factum est ita.* *Viditque Deus cuncta quae fecerat, & erant valde bona.* *Et factum est vespere & mane dies sextus.* Plura de hominis conditione, in statu innocentiae, diximus quaest. 5. dub. 2.

20 Ex quibus omnibus intelligitur, opificium Hexaem. siue sex dierum, ita à Deo conuenienter fuisse peractum, ut initio quidem statim creatio caeli & terrae, ac elementorum, adeoque totius mundi quoad substantiam à Deo peracta fuerit; hic deinde successerit op<sup>9</sup> distinctionis rerum antea creatarum; quod factum est primo, secundo, & tertio die, productione lucis; separatione aquarum caelestium & elementarium; & congregatione aquarum elementarium in vnum locum: hinc denique tum eodem die tertio, tum reliquis diebus, subsecutum & peractum fuerit opus ad ornatum eiusdem mundi prius, put iuxta comunem Doctorum sententiam fusius tradit S. Thomas q. 65. & sequentibus praefertim q. 70. a. 1.

Atque haec de opificio sex dierum, totaque parte prima S. Thomae satis. Nam quae is porro de gubernatione Dei disputat, quantum Scholastica tractatio requirit, iam antea suis locis expediuimus.

21 Nos interim, ut cum S. Basilio. 1. Hexaem. loquar, *Conditorum opimum rerum sapientissime formatarum glorificemus, & ex visibilibus pulchritudine, illis qui nimis opimum est, contemplerur.* Et ex magnitudine corporum circumscriptionum metiamur illum infinitum, & maximum, omnemque cogitationem cordis humani suae virtutis amplitudine transgredientem. Nam licet creaturae naturam minime comprehendamus, tamen ipsam, quod tenuiter nostro subjicitur intellectui, tantum habet admirationis, ut etiam velocissima mens inferior videatur his rebus, quae in hoc mundo habentur exiguae; debet autem super omnibus laudem Conditori referamus impensius: cui gloria, & honor, nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.

FINIS.

*Laus DEO Creatori Caeli & terrae, & Deiparae caeli Reginae, Virgini Mariae, Omnibusque Caeli ciuibus, & huius mundi Triumphatoribus.*

INDEX